
CAFRES
TRAGOEDIA

AVCTORE

P. IO: BAPTISTA GIATTINO
PANORMITANO SOC. IESV

Quinquies habita
In Seminario Romano, Anno Dom.
M. DC. LI.



ROMÆ.
Typis Heredum Corbeletti. 1651.

Superiorum permissu.

EMINENT. AC REVER. PRINCIPI

FRANCISCO

CARD. BARBERINO.

S. R. E. Vice Cancellario.

IO. BAPTISTA GIATTINUS
Societatis Iesu Felic.

LIbelli tenuitas tui nominis amplitudinem extimesceret. Em. Pr. nisi, & audaciam adderet regium Tragœdiæ nomen, & me plane compelleret impatientia notæ diutur-

nioris qua quodammodo videbar argui ingrati animi, ac frigidi obsequij erga tantum patronum, ac Principem: quam igitur in præsentia possum significationem addictissimæ tibi obseruantiæ meæ, & obsequentissimæ voluntatis libenter publicam in lucem profero, maturioris fortasse studij, ac seuerioris disciplinæ aliquid postea libentius oblaturus benignitati tuæ; à qua nunc enixe peto, vt in tenui munusculo paruulam quidem, sed expressissimam donantis animi clientelam inspiciat.

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS
Societatis Iesu Præpositus
Generalis.

CVm Tragœdiam P. Ioannis Baptistæ Giattini nostræ Societatis Sacerdotis, Latine conscriptam, cui titulus est Cafres, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos spectat, ita videbitur, in cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, Sigilloque nostro munitas damus. Romæ 16. Martij 1651.

Franciscus Piccolomineus.

Loco ✠ Sigilli.

ARGVMENTVM TRAGOEDIAE

SEbastianus Casrum Imperator Christianam fidem edoctus à P. Consaluo Silueria Societatis Iesu, nō minus virtutis eximiæ præstantia, quam sanguinis claritate conspicuo, Sacrum baptismum, ab eodem susceperat vna cum ipsius matre Maria, Henrico Filio, ac regni primoribus. Hic natali Henrici die eundem regnorum hæredem instituit solemni vetusti annuli traditione, sine qua Imperium capessere nemini licitum erat. At Henricus ob singularem animi pietatem, vt sui Regni initia Deo consecraret, Consalui manu annulum suspendit ad Christi Pedes, e Cruce pendentis in Aede sacra Christianorum. Verum Orcami aliorumque Sarracenorum fraude [illegible]e surripitur, & furti crimen in Consal-

uum

uum eius que fratrē Odoardum post Indiæ gubernationem illhac visendi fratris gratia transeuntem reijcitur. Tandem post varias fraudum ambages Sebastiani iussu Consaluus occiditur, ac Templum comburitur in quo etiam Henricus flammis extinctus depræhenditur. Fundamentum fabulæ desumptū est ex historia vitæ eiusdē P. Consalui, qui re vera ab Imperatore Castrum Saracenis instigantibus per immissos satellites confossus fuit. Sed postea idem Imperator rabie percitus Matrem, & alios auctores indignæ cædis trucidauit.

PERSONAE TRAGEDIAE

Sebastianus Imperator.
Henricus Imperat. filius
Consaluus Siluecia

Odoardus Consalui Frater.
Catadus nobilis Lusitanus
Orcamus)
Osmanus) nobiles Sarra
Selimus) ceni
Ignatius Christianus Ephebus
Eusebius Christianus ephebus)
Lochmanus mahumettanus) Gemelli

philippus e regis aula
Ephebus reginæ
Ephebus principis
Præfectus militum Nuncius

Marius Spinola
Comes Io. Gaspar Grassius.

(Saluator Gasparinus, cuius
(ægrotantis vicem bis expleuit
(D. Octauius Caracciolus
Antoninus Criuellus.
Raphael Riatius
Ioannes Bettus
Ioannes Belcredus
Venantius Perozzus
Carolus Ponesana
Guillelmus Balbanus

Laurentius Magalottus
Curtius Franciottus
Alphonsus Riccius
Andreas Bouius
Marcus Antonius Gentilis

Scena ponitur in Vrbe regia Monomotapa

ACTVS PRIMVS,

SCENA PRIMA.

Orcamus Selimus.

Sel. AVita legis gloria, & florens diu
Magni Prophetæ cultus immani ruent (tares
Deiecta lapsu, regios inter
Funestat aras vmbra feralis crucis,
Et nos iacemus? nostra quid tantum labat
Orcame virtus? quantulus tantam ciet
Hostis ruinam, nosque transuersos agit?
Consaluus vnus altero expulsus Polo,
Eiectus vndis, perditus, egenus vagus.
Reges, & vrbes fascino abrepti malo
Christo dedere nomen, & magicis caput
Sparsere lymphis, iam peregrinis sonat
Nominibus Aula, Sceptra Consaluus mouet

Spe-

„ *Spectamus hæc, & patimur, & totus dolor*
„ *It in querelas? horridas clades, neces,*
„ *Excidia tentat vltima elusus furor.*
Orc. *Virtute dignas, & tui plenas alis*
Selime flammas; cerno quam rapido furens
Absorbeat nos vortice Europæ fides;
Cerno, & peruror; totus in rabiem coit
Diuulsus animus, seque vix pectus capit
„ *Ira tumescens. Non tamen mentem fruor*
„ *Præcipitet impos, prouidæ solus regat*
„ *Rationis ardor. quidquid est atrox ferum*
„ *Enorme, dirum, concoquat mentis pius*
„ *Generosus æstus; inde perficiat furor*
„ *Fidus minister operis; haud unum mihi*
In facinus ardet pectus; in cunctas feror
Rapiorque pestes, æstuo, & cladis nouæ
Imago surgit maior, at votis minor.
Sel. *Semen malignæ sobolis, & penitus mali*
„ *Vellenda radix: vsque dum nostras trahet*
Consaluus auras, Vrbium, regum, omnium
Afflabit animos tabida blandus lue.
Orcum fouemus, vrit has phlegeton plagas.
Orc. *Hæc execrandæ tabis immanis parens*
Hæc hydra nostris prima captanda est plagis.
„ *Flamma retracta sponte deferuet latex;*
Sel. *Quonis, dolusue noxium absumet caput?*
Rex

Orc. *Rex ipse.* Sel. *Regis ille deuinctos tenet*
Impostor animos, ille regnantem regit.
Orc. *Et sæpe regum gratia in summo flagrans*
„ *Tandem procellas conflat, indiguis vbi*
„ *Arsisse flammis sentit, & nimius fauor*
„ *Sæpe in pudorem soluitur, & iras truces:*
Sel. *Pietate nixus surgit in maius fauor*
Orc. *Simulata pietas vulgus, haud reges mouet.*
„ *Mens imperantis ipsa fit pietas sibi;*
„ *Nec aula solio sanctius quidquam putat.*
Palpanda mens est Regis, & lentis modis
Sensim petendas quæque Consaluus pio
Vestit colore; nuda detectis dolis
Sunt explicanda. Voce mentitur Deum
Sacrilegus ille, purpuram affectat manu,
Cafresq; tandem premere Lusiadum iugo
Sel. *Hic nempe cardo vertitur; fraudis modo*
Suspicio regem vellicet, pietas fides
Nouusque cultus fluxit infandæ crucis.
Orc. *Nuper Melinda vectus hoc tenuit solum*
Germen Mametis Osmarus; nostræ decus
Columenque gentis, regibus carum caput
Ipsum petamus; ille suadendi diu
Peritus artis, aduenam euellet fidem
Regum medullis, ipse Consaluum eruet.
Fel. *Ad omne pronus facinus Orcamum sequor.*

SCE-

SCENA SECVNDA

Caiadus Eusebius, &
Ignatius.

Cai. *NVllã serena commeans phæbus plaga*
Hac faustiorem sustulit regno diẽ.
Nunc iam beatos exeret vultus pia
Religio, & alto iura de solio dabit
Castum per oras. Perge Consaluum Eusebi
Accerse, & vna frater accedat comes.
Eus. *Adibo lætus ætheris plenos lares.*
Ign. *Post quam susurro cælitum afflatus latex*
Mea tinxit ora, qualis excurrit lepor,
Qualis voluptas pectoris inundat sinum!
Angusta cordis spatia iam cælo tument:
Vix patitur animus, seque se maior premit
Me me beatum! vota iam tandem mea
Explebit vnus, cuncta qui replet Deus.
Cai. ,, *Renata Cælo pectora agnoscit sua*
,,*Profusus æther, vena delicijs fluens.*
,,*Et pars olympi melior hæc amplexeat.*
,,*Calcanda tellus pedibus haud cordis valet*
,,*Satutare vota, pectus immensæ capax*
,,*Diuinitatis, vnus æquabit Deus.*
Ign. *O si beatis vltima hæc Austri plaga*

Lu-

Lustretur vudis, atque protritis solo
Signis Auerni læta millenis crucem
Attollat aris, quale iam specimen daret
Abminandum Tartaro, gratum Polo!
Cai. *Secunda votis astra comspirent tuis.*

SCENA TERTIA.

Caiadus, Ignatius, Eusebius, Consaluus, Odoardue.

Con. *CAiade, cultus grande munimen pij*
Ad tua paratum iussa glomeramus
Cai. *Præco Tonãtis atq. melioris parẽs. gradũ)*
Consalue, vitæ, Tuque germanæ comes
Virtutis Odoarde Lusiadum micans
Vterque sidus; faustus hic surgit dies
Nostrisque votis clarior. mos est Casrum
Et lex auita; quisquis antiquum annulum
Insigne regni publicè dextra gerat,
Det ille iura Casribus, & vastæ regat
Imperia gentis. Od. Artis ostentum inclytę
Centum notatum regibus vidi semel,
Vnaqз frater. Cons. Vidi, & attonitũ stupor
Me rapuit artis; est opus maius fide.
Cai. *Hanc ergo regni tesseram Augustus parens*

Hac

Hac luce, quæ natalis est nato dies,
Ipsi gerendam tradet; vt claræ domus
Lux vna teneram destinet sceptris manum,
Dignosque regum spiritus regnans ciat.
Conſ. *O quam benigno sospitat vultu Deus*
Nouella Cafrum germina, & dexter fauet
Pietatis orsis! vnicus nostræ tamen
Mentis medullas exedit fixus timor
Cai. *Quis est timori cuncta dum plaudunt locus!*
Conſ. *Tabem Mametis horreo; augusti lares*
Adhuc ministris impiæ legis patent;
Adhuc susurrus pestilens blande meat
Regum per aures, pectora & gratus subit
Od. *Laudo timores vnica hæc nubes quoque*
Mihi serenum semper infuscat diem.
Cai. *At nostra non ingrata vox etiam sonat*
Regũ per aulã; grauius haud quid quã solet
Sancire princeps sensa nisi nostri prius
Pertentet animi; quidquid abnuimus, fugit
Od. *Et ipse regis impetum haud vidi semel*
Ad tua refractum monita, ad impulsus tuos
Plane labantem; tu reluctantem potes
Mentis rigorem flectere, & sæpe vnica
Fingis refingis vocula, & quo vis trahis.
Cai. *Non hæc dedit natura, non artis labor;*
Solum dedere cælites, si quid tuos

Con-

Confalue nisus tollere in maius queam
Sanctumque cultũ figere hoc mundi angulo.
Conſ. „ *Te digna faris iste conatus decet*
„ *Deuota cælo capita: me tristis tamen*
Infestat umbra; nescio quis intus fremit
Fragor procellæ, turbidum hæc fulget dies
Serena quamuis numine secundo micet.
Od. „ *Sperare fausta cum fauet cœlum iuuat*
Conſ. „ *Timere tristia quãdo furit Orcus decet*
Od. „ *Orci furores alma perfringet fides.*
Conſ. „ P*erfidia virus euomet. Vindex manus*
Tonantis in me verte furiales minas
Et hoc cruore merge cocyti faces.
Cai. Ne *lęta tricti gaudia obuoluas metu.*

SCENA QVARTA

Sebaſtus Rex cum regni proceribus, Orcamus, & qui ſupra.

VEtusta regni gloria, senatus fides
Aulęque fulgor, vosque pietatis nouę
Delata cælo sidera, Europę decor
Adeste regi. clara consurgit Polo
Natalis olim regię prolis dies:
Hanc fauſtitati publicę, & nati, & meę
Impendere ardet animus, & lęto simul
Fir-

Firmare fasces omine, & leges Casrum.
Tria lustra natus explet, & virtus tamen
Aetate surgit maior ut sceptro pares
Preuertat annos: Annulum regni vetus
Insigne, Auorum plurimis sculptum notis
Hac luce ritu pristino Henricus ferat
Me inaugurante: Pronus heredem imperi
Populus adoret, discat & regem pati
,,Regnante me; prælud ere ad regnum decet
,,Regni capacem spiritum. Celsam indolem
,,Ad sceptra fingat primus ætatis vigor.
,,Teneris ab annis: sic rudis longo rotæ
,,Attrita mortu gemma vix tandem micat.
Orc. *Sollicita regni gaudia, & vota & preces*
Præcurris alto cuncta consilio mouens
Auguste: nempe hac arte magnanimus puer
Tanto è parente regias formas trahet.
Cai. *O quam benignos vertit obtutus Deus*
In tua Sebaste regna, qui talem tibi
Recti sequacem prouidam mentem inijcit.
Od. *Nil tenue, nil eneruè, ieiunum nihil,*
Nil non decoræ luce virtutis satur
Non patre plenum spirat Henrici indoles.
Conf. *Pietatis inde fulgor, & morum decor*
(Natos olympo qualis heroas decet)
Quasi è perenni fonte per Casres fluet.

SCE-

SCENA QVINTA.

Henricus, & qui supra.

Hen. P*Arentis ora veneror, & quando mihi*
Natale Titan reuehit e Cœlo iubar,
Accepta vitæ munera Auctori Deo
Redono supplex, inde Genitori sacro,
Secundi, & instar Numinis Patrem *colo.*
Rex *Matura sceptro dextera, vetustum cape*
Insigne regum. Regius *Auorum annulus*
Mea firmet in te regna. Tam fausto die
Tu lora populis flecte, tu leges iube.
Hē. *Regnare si das Genitor, & si quid valet*
Hæc ad regendum dextera, vtrūq; est tuū.
Sic vnde memet traxerā, hinc regnū traho.
Rex *Vrbs tota festis lusibus plaudat nouo*
Addicta regi; nulla sit Cafrum plaga
Quæ non tributis prona regnantem colat.
Hē. *Non me, sed in me regna venerētur Patrē.*
Rex *Et quo per omnes auctior late fluat*
Hæc faustitatis gratia, e vinclis reos
Exoluo, nec iam seruitus quemquā premat
Regnante prole: Larga thesauris quoque
Et ipse apertis munera in populos dabo.
Hen. *quas Genitor in me conijcis Amoris faces!*

SCENA SEXTA.

Remanent Henricus Consaluus, Odoard.

Nen. ,, *SVperba regni fulgura, & quãtum micat*
,,*Beatitas mortalis, in tenues mihi*
,,*Soluuntur vmbras, clara ni cælum simul*
,,*Affundat ample lumina: ad sceptrum vocor,*
,,*Pietas vt alma regnet. in solium euehor*
,,*Iubente cœlo, dignius ab alto gradu*
,,*Pietati vt inde seruiam. hac solum placet*
,,*Regnare lege, vt decora, maiestas, nitor*
,,*Honoris amplitudo pietatem ambiant*
,,*Nostro insidentem vertici, & regno, & mihi*
,,*Late imperantem, iura dicentem sua.*
Cõſ. ,, *Mẽs hæc olympo tumida, mortales supra*
,,*Transgressa metas munus est amplæ manus*
,,*Quam sol & astra luce famulanti colunt.*
In te profusum supplici mentis genu
Agnosce Numen, tanta virtutis nouę
Venerare dona, tèque mortali exue
Henrice mole, pectoris vastos sinus
Cælo relaxa, Numine vt pleno ardeas.
Hẽ. *De me profundæ noctis informem gero*
,,*Inanitatem, si quid affulgens meas*
Dispel-

,,Dispellit umbras, ex inexausto fluit
,,Lucis beatæ gurgite: ô qualem diem
,,Consalue Casrum lucifer cœlo vehis!
,,Nil tale merui: noctis eternæ specus,
,,Aeternus horror, tabidum noxę chaos
,,Memet decebant; vertit in melius vices
,,Per te benignus æthere affuso Deus.
Cōſ. O ter beata vortices inter feros,
Viæ pericla, dulcis ærumnæ labor,
Et læta mortis ora quæ tandem mihi
Rependitis Tripudia? Terrarum vltima
Virtutis hæc portenta sustollit plaga!
Od. At iam per vrbem iubilo excitus tua
Deposcit ora populus & lætis cupit
Tibi auspicari plausibus festam diem.
Hē. Beatiora auspicia me pietas iubet
Captare sceptris: Ipse regnorum Arbiter
Regnumque Rector annuli gestet prior
Regale signum; quique terrarum, ac poli
Immensa digito Imperia vix primo regit,
Secunda Casribus regna, felicem mihi
Hunc auspicetur annulum, & tactu pio
Reddat beatum, vimque regnandi imprimat.
Od. Quid mente verses ambigo. Regnis præest,
Regesque summo Numen Imperio regit.
Hē. Ius istud est commune, me proprio regat,

Propriumque Casrum: se Deus regem gerat.
Cōs. *Tua prome sensa pectoris, solito amplius*
Et homine maius aliquod hic ardor coquit.
Hē. *Mens est cruento stipiti affixo Deo*
Hunc annulum suspendere ad sacros pedes.
Vt qui dolori, regnat e solio, probris
Plagisque cinctus, & mea tectus lue.
Mea quoque regna regiæ secum trahi
Defixa planctis calcet, & diuo beet.
„*Sceptrum cruore: Nil moror regnum, nisi*
„*Crux alma Regnet; subsequar regnū crucis*
Cōs. „*Generosus ardor mentis est expers modi,*
„*Consilia in alta rapitur. o quales Amor*
„*Diuine formas induis! quantas struis*
„*Repente moles ardui solum faber!*
Pietatis æstum laudo; sed vereor patrem,
Vrbisque vota regia in pompa tuos
Spectare vultus anxiæ, & regni annulū.
Od. *Timeo Mametis Asseclas fraudis modos*
Promptos in omnes, ne quid excudant doli
„*Suspenso ad aras annulo; in peius trahit*
„*Quod capere nescit animus, & propria sibi*
„*Virtute rectum quisque metiri solet.*
Hen. *Caute monetis. Ergo natalem hanc diem*
Polo, soloque partiar, primam Deo
Partem sacremus; alteram patri damus,

Populique votis; interim causas moræ
Quæ iam paratur pompa, prætendet satis.
Conſ. *Pectus pericli prouidum & recti tenax*
Cui non probetur? perge, dum pompis modũ
Tempusque princeps imperas, & nos sacros
Aptare cultus proximo in Templo decet,
Augustius quo vota persoluas Deo,
Hen. *Festinus ibo, præpete & vertar pede.*

SCENA SEPTIMA.

Orcamus, Selimus, Osmarus.

Orc. *IN te recumbit Osmare afflictæ spei*
Si quid superſit: pellitur auitis focis
Nomen Mametis. Regiam & claras domos
F*erale lignum, pendulum spectrum occupãt,*
Sel. *Tu regis animum mollis orator potes*
Partes in omnes trahere; non vna tumet
Tibi pectus arte, cuncta iam solus tenes
Facundiæ molimina; haud quidquam tuo
Aurem susurro gratius regum subit
Oſ. *Tabem execrandam penitus e Casrum solo*
Austrique regnis exigam, absumam, eruam:
Vires, cruorem, spiritum, & quantum est mei
Ad hoc libens deuoueo, contestor sacræ

Legis volumen, tertius phœbi nitor
Vel hoc reuulſum cernet è collo caput
Vel impiata è Regia eiectas cruces.

Sel. *Quid iã moramur? Oſmari ardores cape,*
„Inuade Regem. non amat pietas moram.

Oſ. *Sed caute agendũ. Tu prius regem admone*
Melindæ ab oris Oſmarum aduectum modo
Adeſſe, frontem regiam vt ſupplex colat.

Sel. *Adibo; temet interim totum cie*

Or. *Suſpicio regis pectus infixo vorет*
Proterua dente. Geſta Conſalui, dolis
Imbuta cæcis improba, occultas vias
Sibi ſuiſque quærere ad regnum doce.

SCENA OCTAVA.

Lochmanus Euſebius, Gemelli.

Loch. QVid tu Nefaſtam gẽtis ignotæ fidẽ
Cruciſq; ritus, & cruentatos Deos
Tam perditè deluſus heu frater colis?
Abiecta pronus iura, ſeruiles amas
Vileſque mores degener? ludos, equos,
Cœtus amicos, nobiles artes fugis,
Triſteſque ſemper tetricus ad aras lates!
Excute ſtuporem frater, indignum abijce

Pie-

Pietatis vsum, linque Consalui latus,
Tuisque te met reddito, & luci, & tibi.
Eus. *Heu te! per umbras frater, & auitos ad-*
Erras vapores. Pectus æternæ semel (huc
Expande luci, quidquid in terris iacet,
Et ampla tellus, vix in exiguum tibi
Punctū migrabūt; vile, contemptū, horridum
Quod vmbra ditis fingit, ò qualem induet
Cœli decorem, quas, & in formas abit!
Sua, quando ab alto lumina inspergit Deus:
Loc. *Vox ista frater somnia Europæ canit*
Nugasque dictu nobiles: terris Polum
Permiscet audax, nec sinit mundum suos
Seruare fines, nosque deserto solo
Super astra cogit scandere, & clausas poli
Adire latebras; atque penetrales Dei
Ferre in recessus impium mentis gradum
Eus. *Tu dona Cœli, prodigum & Numen sui*
In probra vertis. quidquid in Cœlo micat,
Solemque supra vastius cœlo patet,
Nobis creauit artifex mundi manus
Sibi satis vni Numen est. ad se tamen
Nostros amores euehit & ardens amat;
Deoque nos adnectit, & nobis Deum.
O si proteruum pectoris tandem gelu
Lochmane soluas, nec renitenti ferox.

Rigore pellas æthere allapsam fidem,
Proh quam beata lætus arderes face!
Loc. *Proh quã maligno tristis arsissem rogo!*
Sed te susurrus magicus, & virus potens
Tabesque carpit Eusebi. Haud perstas tibi;
Ludibrium vesaniæ agitaris miser.
Meum hinc perurit tristior pectus dolor.
Eus. *Fraterna frater gaudia, & risus doles.*
Loc. *Gaudere quisquam sordibus sanus queat?*
Eus. *Sordere quidquam possit, vbi fulget Deus?*
Loc. *Seruile vitæ specimen haud sordes putẽ?*
Eus. *Odiosa cœlo decora non sordes vocem?*
Loc. *Vos ergo amores, odia nos cœli sumus.*
Eus. *Quod alma pietas odit, hoc odit polus.*
Loc. *Sic vetera Patrum iura, sic damnas auos?*
Eus. *Tenebras Auorũ miseror, & noctẽ horridã*
Loc. *Vnus refulsit totus Europæ dies.*
Eus. *Nostrasque lustrat cælitum dono plagas.*
Sed iam beatas pergere me ad aras iubet
Henricus. Vno protulit si nos Parens
Partu gemellos, vna nos pietas alat,
Vna & gemellos inserat cœlo fides
Loc. *Natura si nos iunxit, atq; ardens amor,*
Fraus lusitana distrahet. Nullus mihi
Fulgebit æther, prisca ni rursus fides
Fratrique memet reddat, & fratrem mihi

SCENA NONA.

Henricus, cum Ephebis aromata gerentibus.

Hen. *IN hoc aperto regiæ augustæ foro*
Mea nũcupabo vota, trãsixo ad crucē
Aurea regna meque cum regnis Deo
Figam, per aras spectet hoc cœli iubar
Et aura templi purior sacra e trabe
Pendentia Cafrũ regna, pendentem annulũ:
Hic ergo nos adesse Consaluum mone.
Ign. *Qualis profundos imbuit cordis sinus*
Cœli voluptas, vera dum mentis vigor
Oracla fidei versat! hinc dulces trahit
Ardens amores pectus, hinc nectar bibit.
Hē. *Quam dextera nos luce fortunat Deus*
Nostris negata patribus, quando suæ
Arcana mentis ore Consalui mouet

SCENA DECIMA.

Consaluus aduenit cum Euseb.

Euseb. *AVgusta Templi forma, dispositus (decor*
Sacrat ad aras vota sollicitant tua
Princeps, Olympi specimen, ornatus refert

Ardere pectus cogitur: plenus Deo
Surgit medullis nescio quis intus lepor.
Cōs. *Sacros ad usus ignibus & auro micant*
Aedes, & ara: lætius quiddam tua
Ad vota fossus spirat è ligno Deus
Hē. *Vis hic odorum est, gratius quidquid legāt*
Arabs & Indus: cordis impuros mei
Vapor hic vapores mitiget. Cons. sēper Deo
Iucunda redolent ausa conatus pij.
Hē. *Scelere ego nuper tabidus, mortis reus,*
Cælo rebellis, vile mancipium Stygis,
Ego ne impudenti dona substollam manu
Sacras ad aras! Tu pater digna potens
Tractare numen dextera, & plenam Deo
Offerre frugem, cuius ad vocis sonum
Placatus æther fulmina in amoris faces
Repente soluit, annulum augustæ trabi
Affige purus sceleris, & gratus Polo.
Cōs. *Proh sancta pietas quāta puerili in sinu*
Vix nata crescit! ultimam metam tenes
Primis in orsis; perge quo sanus furor,
Quo te Tonantis prouehit in altum fauor:
Tibi obsecundo, dexteram multa licet
Sorde inquinatam porrigo, forsan tuis
1 *Afflata votis illa sordescet minus.*
O qui

1 Flectis hic genua, et annulum digito

1 Hē. O qui profunda cordis inspectas Deus,
Ne vile donum tenuis imperij notam,
Sed mea tuere vota, quæ cęlum tibi
Geminumq; mundum plenaq; æternis bonis
Immensa spatia quæ supra cęli ambitum
Imaginamur, si mei iuris forent,
Vel si quid, animo grandius fingi potest,
2 Tibi tuæque læta subijcerent cruci.
Hunc annulum tu mysta, & interpres Dei
Sacras ad aras offer; infixus cruci
,,Discat cruci seruire, quo regnet pius.
Cōs. Plaudente cęlo munus excipio libens
,,Christo Daturus; dona nil augent Polo
3 ,,Sed astra rapiunt; ipsemet nostris Deus
,,Fit præda donis, & capi donis placet.
Hē. Mei fidelem pectoris testem dabo
Meum hunc cruorem paginæ inspersū notis
Hic summa voti scribitur; sacra è trabe
Pendens vouentis expleat cordis uices
Cōs. ,, Amat cruoris Syngraphā diuus cruor
4 ,,Suique amoris amne vitali obruet
,,Vota, & vouentem: quidquid imperio crucis
,,Henrice subdis, imperat cœlo & Stygi.

CHO-

1 Extractum manu Deo offert. 2 Annulum porrigit Consaluo. 3 Surgit hic Henricus 4 Dat paginam sanguineis scriptam notis.

CHORVS

VIrgo nocentes exoſa diu
Aſtræa plagas, ſoſpita recti,
Linque ſupremi, vaga ſigna Poli,
Repete infeſtum ſecura ſolum:
Reditus poſcit meliore tuos
Omine tellus; vbi trans medij
Culmina ſolis, qua libra dies
Noctibus æquat ſub ſepoſiti
Tramite Capri porrigit auſtro
Vltima vaſtos Africa tractus.
Ibi cæleſti cara theatro
Portenta nouæ pietatis, adhuc
Nullam Europę viſa per aulam
Inſpice felix; inde beatis
Explere licet lumina formis.
Mirare Crucis grande Trophæum;
Tereti clauſum cerne metallo
Crucis e ſolio penſile regnum.
Ibi vitalis purpura venis
Eruta ſignat votum Enrici.
Laceroque Sacrat ſceptra Tonanti.
Hic Regnantum ſtulta libido

Hic

Hic indomitos frange tumores.
Cæca, Thiarę decus egregium
Reputas nulli cedere cœlo,
Imo supremos super abiecto
Tibi moliris Numine fastus.
Non assyrio grata Tyranno
Pocula spumant, licet ignotæ
Peregrina sonent nomina glebę;
Impia sacro iuuat ex auro
Vina impuris sugere labris.
Et captiuę numinis ędis
Renouare nouo furta triumpho.
Ita despecti fæda Tonantis
Probra sacrilego mixta lyaeo:
Sitis imperij vesana bibit.
Ille parari face multiplici
Babylone nouas imperat æthnas;
Quæ stelligero vota precesque
Debita regi, flammipotente
Terrore negant: non ille Deum
Socium tumidus sustinet aræ;
Sibi diuinos vnus honores
Arrogat, vnus penitus pulso
Numine totas occupat aras.
Et cui curuat lumina cœlum,
Cuius pedibus subdere gaudent

Venerabundas ſidera flammas,
Humana vetat genua inflecti
Septingemini flamma camini.
Sibi direptos horret honores
Spretus olympus, nec fulmineos
Ardet in ignes; placet inſolita
Leuius pœna delere ſcelus.
Domat occulto pectora fræno,
Animique ligat ſenſa Tyranno
Ille humanæ protinus impos
Mentis, ſtolidi migrat in mores
Senſuſque bouis; deſerit vrbes,
Nemorumque vagus paſcitur herbas.
Sic diuini male ſana fames
Cultus, paleas, fænumque leue
Paſta domatur.

Finis actus primi

ACTVS

ACTVS SECVNDVS

SCENA PRIMA

Osmarus, Orcamus, Selimus.

Os. IN *spem resurgit animus; arridet nouo*
Fortuna vultu. vocis ad nostræ impetũ
Augusta mater turbida exarsit face.
Christum exsecratur rabida, Consalui caput
Labem malorum perdere immani cupit
Effrenis odio, fortius nobis flagrat.
Or. „*Euicimus; iam fęmina e nosto furens*
„*Pugnat maniplo. Fęminæ inuictus furor*
„*Nescit repulsam, non capit damni modum,*
„*Plusquã minatur perdit, & plusquã cupit.*
„*Quęcũque clades fœmina est semper minor.*
Os. *Bacchatur illa; precibus imperijs, minis,*
Diris, probris, fulminibus irarum parat
Natum, ac nepotem flectere vt pestem impiã
Et pestilentis opprimat sectę ducem
Or. *Natura, mater fœmina, & Amor, & furor*
Et fas, & æqui ratio iam nostram simul
Causam perorant; fœmina fuisset satis,

Quid

Quid cũcta poterũt? vocis hæc palma eſt
Per te Mametis firma perſtabit fides. (tuæ.

Sel. *Nitute vocis arte, qua rigidas ſoles*
Mollire cautes, quaque fulmineos potes
Agitare nimbos intimum regis ſinum
In tua refingis ſenſa Conſaluo fibris
Euulſo ab imis, ſpes adhuc noſtræ labant.
,,Ne fide matri; mobile ac varium malum
,,Muliebris ira, nunc in immenſum tumet
,,Cælo timenda nnnc repentina iacet
,,Quiete preſſa: flamma quę citius flagrat
,,Repente languet. omne vio lentũ eſt breue.

Or. *Eſt breue; at idẽ quo breuius, hoc peius no-*
Recuſo longa ſpatia; refringit mora (cet.
,,Grandia furoris auſa, violentus tumor,
Primuſque regis impetus præceps, breuis,
Suique prorſus impotens ſolum poteſt
Abſumere gregis impij infeſtum ducem;
,,Si ſpatia laxes, irritus fluxit furor.

Oſ. *,, Nunquã remiſſa fæminæ obſidio domi*
,,Quamcumque tandem peruicax arcẽ capit,
Inſultus illi noſter accedet comes;
Artes in vnum congeram, extrema omnia
Conabor audax, virium ſummam exeram.
Sed huc ephebus matris Auguſtæ petit.

Exit Ephebus

Eſſa-

Or. *Effare quonam puber intendis viam?*
Eph. *Ad se Nepotem Regis accersit parens.*
Or. *Quales ad vsus?* Eph. *dona pretiosis para*
Superba gemmis, balteum, vestem, mitram
Stellantis axis æmula; operosa manu,
Hæc ipsa finxit dona, quę primùm nepos
Inauguratus annulo Regni gerat.
Or. *Quid illa præfert ore?* Eph. *Sedatum nihil,*
Nihil serenum; torua truculentos vibrat,
Flectitque visus; iamque violento gradu
Conclaue Regis subijt, & quantum procul
Audire licuit; questubus Cœlum quatit:
Illuc Nepotem feruida acciri iubet.
Or. *Benè est: in æde desipit ad aras nepos.*
Sel. *Turbas ciebit mulier; & fælix via*
Illùc paratur Osmaro; forti parens.
Quassat Sebastũ machina, vbi primus rigor
Labascit, acri facilis impulsu ruet,
At ecce Princeps remigrat; adire obuiam
Et fausta Regni auspicia gratari decet.
Hē. *Saluete proceres* Osm. *Qualis hæc nostris*
Optata votis, talis excurrat tuis (venit
Serena Regnis semper innubis dies.
En hic parata pectus, obsequium, fidem
Tuis vouemus nutibus; Numen polo
Det iura, Terris iura tu numen dabis

Hē. *Mea sceptra Cœlo seruient, hæc sit mihi*
Laus prima Regni. Vestra complector libens
Obsequia, & alto pectoris condam sinu.

SCENA SECONDA

Odoardus, Consaluus

(sacra
Od. Q*Væ mira frater cernimus? vix dum*
Lustratus vnda Henricus, en summos tenet
Virtutis apices iam mei me met pudet,
Puero magistro doceor, & quid sit fides,
Quid vera pietas, disco iam ferme senex.
Cōs. *Maiora votis capimus, & quæ vix putē*
Potuisse fieri, facta ni visus probet;
„*Hæc est Tonantis dextera impatiens modi*
„*Ignara parui, prodiga, effusa in suos.*
Sed efferatæ bella prospecto stygis:
Cladem que mens præsagit, & tacitus fragor
Iam iam ruentis Tartari pectus ferit.
Od. *Cœptis Olympus adsit, at ne quis sacros*
Subire postes tentet, est cautum satis?
Cōs. *Hæc ære fimo nexuit clauis fores;*
Geminusque puber intus alternas preces
Fundunt ad aras, atque perpetuos focis

Ad

Addunt odores, non patet fraudi locus.
At Lætus en Caiadus huc effert pedem.

SCENA TERTIA.

Caiadus, & qui ſupra.

Cai. *PRimæua tandẽ ſæcula in Caſres Deus*
Per vos reuexit, innocens aurũ fluit,
Aeſtuſque fidei regiam mentem abripit.
Cõſ. *Grates Olympo. Veneror ò Cœli decor*
Regina charitum, noſco maternas preces,
Quæ facile noſtris numen optatis parant.
Tu proſperos amice ſucceſſus refer.
Cai. *Iam Rex per Vrbẽ ſacra victricis Crucis*
Trophea paſſim lætus attolli iubet
Suadente nato; nubibus & idem parat
Aequare Templum paruulo in cunis Deo.
Tua nunc repoſcit ora, te columen ſui
Conſalue Regni, te renaſcentis patrem
Vitæ, ac Patronum, te vocat Cœli Ducem,
Et verba donis cumulat; electos grege
E regio iam deſtinat munus tibi
Centum iuuencos, addit haud pondus leue
Argenti, & auri; nec tuum fratrem ſinit
Abire vacuum regiæ donis manus.

Torquem pyropo fulgidum, atque auro grauem
Suosque vultus gemmulę insculptos dabit,
Nec leuia regi dona lusiadæ parat
Parilis vtrique legis, ac fidei notas.
Cōſ. *Tam liberalis dona pietatis, Deo*
Impensa abunde pronus amplector, tamen
Hæc fluxa terræ munera, & miseras opes,
Recuso inopia diues, & cælo satur.
Cai. *Reiecta dona sæpè despectum arguunt.*
Cōſ. *Cui viuo laboro se spretum arguat.*
Cai. *Nequit repulsam, cuncta cui cedunt, pati.*
Cōſ. *At dum repello dona, donantem colo.*
Cai. *Se, non receptis despici in donis putet.*
Cōſ. *Se quæri & ipse sentiat Rex, non sua.*
Cai. *Distinguere hæc nos possumus, Princeps nequit.*
Cōſ. *Inhiare lucris videar, & donis capi?*
Cai. *Nec dona reges, dona nec renuit Deus.*
Cōſ. *Donātis animo capitur, haud donis Deus.*
Cai. *Donantis animum dona renuendo abijcis.*
Cōſ. *Fandi potestas, dona si capias, labat.*
Cai. *Dandi voluptas, dona si renuas, perit.*
Cōſ. *Docebo factis esse temnendas opes.*
Cai. *Doctrina captu maior hæc aulæ sonat.*
Cōſ. *Discēda tamen est.* Cai. *discitur lōga die.*
Cōſ. *Ne pretia fluxis imputem, pectus timet.*
De-

Od. *Desiste frater, teque consilijs regi*
Permitte nostris; impetum ad nisus pios
Ne frange Regi, quando pietatis calor
Primos in æstus feruet, ardores sine
Abire in omnes liberum, natam cito
Si vim coarctas flammulæ, extingues breui.
Nec te nefastum nomen, & tristis color
Opum retundat; regium munus Deo
Deique mystæ deditum, atque aris puta
Sacros in vsus: quidquid accedit tibi,
Accedit aris. prodigam Regis manum
Deus ipse, non ad dona Consaluus mouet.
Quin tot reuoluis animo egenorum greges?
Tabescit, alget, esurit in illis Deus;
His ea parantur dona, quid constans
Contemptor hoc leuamen afflictis negas?
Si pellit auri fulgor, alliciat manum
Inops egestas; ergo miserorum pater,
Releuare miseros poteris, & durus negas?
Quid vana trepidas? an magis spernas opes,
Aliena renuens dona, quam fundens tua?
Conf. *In vestra flector monita Qui perstat sibi*
Fixusque inhæret, quo magis perstat. labat
Cai. *Adire regem, reddere & grates decet.*

SCENA QVARTA

Lyſander, & Ephebus Reginæ

Lyſ. *QVis turbo rerũ regios quaſſat lares?*
Christum ſequuta nuper, & ſacris caput
Regina lymphis ſparſa Conſalui manu,
Quid nunc furore percita in Chriſti ſacra
Crucisque leges, queſtubus, fletu, prece
Vexat nepotem rabida, nec parcit minis
Diriſque ab alto pectore, vt Chriſtum eruat?
Eph. *Ad hæc adurget Oſmarus, & artes docet*
Fraudeſque, quas Europa pietatis tegit
Doloſa fuco; Regna Caſrenſis plagę
Ita ſpecioſo nomine affectat ſibi.
Lyſ. *Ludis, choreis rebar hanc lętam diem*
Nobis agendam. Triſtior nunquám tamen
Illuxit vlla. Regiam Eumenides tenent.
Eph. *Quid nos moramur ſeria? Ad ludos vocor.*

SCENA QVINTA

Orcamus Selimus.

Or. *NOn hac inanis ibit, aut segnis dies:*
Quid grande pectus suggerit, spargit nouę
Fortuna semen, vota ni fallunt, spei.
Sel. *Quę lęta species oritur, & mentem allicit?*
Or. *Henricus ęde e proxima infamis Crucis*
Monstra sacrata retulit accitus pedem:
Sed neutra digitis annulum insertum manus
Gerebat amplius; dubia nec iam fides
Vacillat oculi, Principis crebro manus
Lustro sagaci lumine, apparet nihil.
Sel. *Visus meę quoque pupulę firmant tuos.*
Or. *Hinc pertinax suspicio mihi mentē occupat,*
Scelerata in ęde more Christi adum impias
Suspendi ad aras annulū, & magicis modis
Inaugurari luridas inter Cruces.
Sel. *Suspicio nil aberrat: his semper litat*
Pręstigijs Consaluus, & fuco tegit
Deliria infanda Crucis, & fraudes vafer.
Or. *Lustrare templum pręstat, arcanos lares,*
Et intimas vbique furtiuo gradu
Adire Latebras. Obuium quid si ferat

Casus secundus annulum? O quales daret
Surreptus inde turbines! hęc si semel.
Manus pręhendat annulum, horrendis modis
Spes Nazarenę fæcis euersas puta.

Sel. *Proh qualis ardor, quę tibi virtus agit*
Vrgetque mentem? perge quo gressum rapit
Pietas auitæ legis, & vindex furor.
Sed qua patebit foribus occlusis via?

Or. *Cum Rex nefando latice Consalui manu*
Caput impiauit, liber in templum sibi
Quo pateat aditus inclytam gemmis iubet
Clauem parari, regio hęc semper toro
Suspensa pendet, facilis ad nostras preces
Augusta clauem surripit, & ipsam mihi
1. *Furtiua desert: hauc ducem fraudis gero.*

Sel. *Moras quid vltrà trahimus? irrumpe ocyus*

Or. *Tu limen ędis interim obserua procul,*
Si quid repente turbidi insurgat, mone.

SCENA SEXTA.

Osmarus Henricus.

A*Mantis auię iussa, consilia, & preces*
Ne *sperne Princeps, illa post fatum tuę*
Pa-

1. Ostendit clauem

Parentis olim tota materni locum
Amoris occupauit, & quiddam amplius
Parente semper tenuit, in lucrum tibi
Iactura matris cessit: ex Auiæ sinu
Magni capacem spiritum, erectam indolem,
Morũ decorem, quidquid es tandem trahis.
Magistra, nutrix, auia, sed plus quàm Parẽs
Tibi fuit illa tuis inardescens bonis.
Ad sceptra nunc vocaris: urgentis vocat
Impulsus auiæ: caperet ut Regnum duos
Efficere sola potuit, & tibi vel sua
Per colla gaudens strueret ad solium gradus.
Et nunc monentem reijcis? Surdam negas
Aditum per aurem durus, & præceps abis
In aduenæ impostoris indignam fidem,
Cultusque viles, & patibulatos Deos.
Hē. Frana pudendos impiæ linguæ sonos
Sacrilege Rhetor. Asseclis vocem tuis
Stultam reserua bubo feralis Stygis.
Auiam parato semper obsequio colam
Dum non iniqua iubeat, hæc vita, hic cruor,
Illi calescit, fusus & si quis ferat
Illi profundi gestit, ut reddat vicem.
Sed obstrepat, sed ingemat, & ardēs fremat,
Nunquã hoc reuellet corde inhærentẽ Crucẽ,
Nisi cor reuellat, Regna, fortunas, opes,

Vitam, meique quidquid est, perdat, ruat
Absumat, adigat rursus in primum nihil,
Christo fidelis moriar, & Christum meus
Spirabit vsque, si quis extabit cinis.
Os. *Prodigia virtus cumulat, in puero virum*
Rege in nouello iam resurgentes auos
Adoro plane stupidus, at tantam indolem
Tam fortis animi specimen in fraudem rapi
scelere alieno doleo. Christiadum dolos
Magicasque tehnas, atque millitas plagas
Vix nos cauemus, longa quos docuit dies,
Vsusque rerum plurimus, & hærens diu
Libris auorum prorsus insomnis labor,
,,Innata lex, & inditum menti sonat
,,Auctore Cœlo murmur, vt veteres auum
,,Ritus tot vsque cultibus, & annis graues
,,Sancte obstinata quisque tueatur fide.
,,Quod fas parentem negligat? quæ lex iubet
,,Descire ab Auia? nulla naturam vetat
,,Lex, fasque, leges legibus nunquã obstrepũt,
,,Nec vlla iam natura naturam premit:
Hæc monstra solùm iura Christiadum docẽt.
Generose puber cœlitum dono tuis
Ad magna natus excute iniectam luem,
Erebique virus; me tui Princeps amor
1. *Compellit, vrget, Cerne canitiem senis*

1. Flectit hic genua.

Te

Te præmonentem, pedibus abiectam tuis,
Senisque longam recole in Augustos fidem.
Nec sperne amores, flectere, atq; Auiæ pius
Luctu sepultæ redde festiuam diem

Hē. *Desiste senior precibus infestis meos*
Torquere sensus; pudeat ætatem grauem
Doctrina, & vsu turpe ludibrium rapi
Ineptiarum somnijs, tantùm tuis.
,,Temere quid annis arrogas? numquid poli
,,Responsa semper certa canities tonat
,,Veri arbitra, & magistra? mendaci semel
,,Imbuta fuco semper erroris tenax
,,Stetit senectus. Fare quis legum tenor,
,,Quæ iura, quæ natura, qui ritus docent
,,Cœlo solum præferre, mortales Deo?
,,Ritus auorum numine abiecto coli?
,,Descire ab Astris? per quę calcatum Deum
,,Amentis Auiæ flectere ad questus pedem?
,,Natura pars est numinis nostræ micans
,,Inserta menti, quidquid obsistat Deo,
,,Sit illud ipsa vita, sit vitæ parens,
,,Natura damnat; iura tu doctus senex
,,Diuina, tute iura naturę abijcis.

Of. *Heu quis parenti deneget cultum* Deus?

Hē. *Verùm tonanti si neget cultum parens.*

Of. *Qui vera falsis segregent? pueri, an senes?*

Qui-

Hē. *Quicumque puras ausit e cœlo faces.*
Of. *Qui corda cœlo pandit, excipiet diem.*
Of. *Quam sæpe simulat larua pietatis Deum?*
Hē. *Sat vera pietas luce se monstrat sua.*
Of. *Iuuenilis ardor vota sibi fingit sua.*
Hē. *Senecta nimium dum sapit sibi, desipit.*
Of. *Desipere cunctos nempe Consaluus docet*
Hē. *Nō ampla nomina, facta doctrinas probāt.*
Of. *Quæ facta? egestas, probra cruciatus cruces.*
Hē. *In decora cum Deus induit, migrant probra*
Of. *Horresco ad ipsa nomina, & mors, & Deus?*
Hē. *Hunc, tartari nox horrida horrorem parit.*
Sed illa cum Mamete de Cafrum solo
Depulsa quam mox repetet infernos lacus.

SCENA SEPTIMA.

Selimus, Orcamus.

Sel. NOndū resedit pectoris anheli tumor?
Quid sit peractum fare. Orc. *Permitte amplius*
Animum recipiam; lingua detrectat loqui,
Vocique creber spiritus claudit viam.
Sel. *Ingens & atrox facinus hic vultus rubor*

Ta-

Tacente lingua præcinit. Or. *supra fidem*
Confesta res est ardua, & factum insolens.
Vix queo peractum credere; peregi tamen.
Ingressus ædem, plurima illustrem face
Aram nefastam cerno, gemmato micat
Præcincta luxu, sericis vernant rosis
Disposita circum vascula alternis simul
Discreta signis; medius assurgit crucis
Stipes cruentæ pensile cadauer gerens.
Crateres hinc & inde subiecta face
Halant odores; pendulus ab imo pedum
Clauo coruscat annulus, & infra cruci
Hæret papyrus scripta sanguineis notis
Votumque signat Principis; Ephebus prope
Supplex in ea piacula susurrat preces.
Accedo ad aras, occupat & aras puer,
Et iam potitus annulo intentat fugam.
Hic ipse voto pene delusus, nouam
Recudo fraudem, poplite inflexo crucem
Adoro supplex; Constitit puber pio
Captus colore; voce tunc blanda metus
Mulcere pergo, velle me tandem cruci
Proterua colla subdere, & Christo manus
Tendere ribelles: si quid hinc timeat doli,
Abibo propere, pace si liceat tua,
Permitte sacro stipiti infigam oscula.
Vo-

Votumque adarem Principis, vt omnẽ mihi
Cordis rigorem molliat virtus Crucis.
Scl. *Oh fraudis officina, festiuum caput!*
Or. Dixi, *& supinas sustuli cœlo manus.*
Stetit ille nutans, inde depulso metu
Clauo reponit annulum, & latus meis
Gratatur orsis; supplici sed dum gradu
Assurgo ficta in oscula, retrorsum mea
Reflectit ille brachia, et iunctas manus
Iunctis coercet manibus, vt caueat dolos;
At non satis præcauit, admoto annulum
Abripio dente, pressa non tantas ruit
Surgens in iras vipera, in quantos puer
Arsit furores, insilit, et omnes ferox
Vires adurget, forte si nostrum indere
In os rapaces vnguium morsus queat.
Non vis, nec ardor hominis, Euripus furens,
Turbo, procella, tartari vortex fuit.
Populatus ora pene iam prædam mihi
Extorserat, ni cautior aperto annulum
Gutture vorassem, spemque lusissem irritam
Scl. *Consilia promit subita cui pectus sapit.*
Or. *Tam verò puber rabidus horrendo ferit*
Stridore cœlum, totus in voces abit,
Opemque poscit: stridulæ at vocem strigi
Telo repressi, gutturi hoc rapida manu
Im-

Immergo ferrum, sanguine en tetro fluit.
Ipsas in aras lapsus immixtam spuit
Cruore vitam, victima ritu iacet.
Deforme quiddam sanguine aspersa rubent
Et Crux, & ara; paginam tandem aufero.
Linquo iacentem, remigro, occludo fores.
Sel. *Iucundus horror, horrida voluptas agunt*
Sub corde plausus; cladiũ est sanguis ferax
Or. *Abscede, clauem præpes augustæ refer,*
Mora nulla. Rex iam regiæ limen terit.

SCENA OCTAVA

Rex, Osmarus, Orcamus.

FRons efferatæ matris, & vox, & dolor
Adhuc feroci pectus insultu quatit.
Ardentia nimium in peregrinam fidem
Damnat Nepotis studia, Consalui dolet
Magica teneri compede, & nostris timet
Præsaga Regnis, meque deceptum arguit:
Parentis animos nosco, vel ad auram leuem
Citò æstuantes, attamen dandum puto
Aliquid parenti: blandior tantæ nepos
Submittat animos Auiæ, & incensum nimis
Consaluus ipse iuuenis ardorem premat

Qua

Qua pollet arte : Puber vtrumque huc voca
Or. *Desiste Rex, nec longior fandi prius*
Mihi sit facultas: grande quid paucis loquar.
Rex *Loquere; fidelem nouimus linguæ sonum.*
Or. *Suspicio cæca fraudis incerta meum*
Obuoluit vmbra pectus. Henricus modo
Egressus æde, qua suo clausi Deo
Secreta obire sacra Christiadæ solent,
Regum superbis annulum sculptum notis
Non iam gerebat, lumine intento manus
Bis, ter, quaterque lustro, nil prorsus micat.
Rex *Satin oculata certus hæc narras fide?*
Or. *Ni totus orci lumina infestat vapor,*
Ni spectra visum fascinant, certa est fides.
Os. *Certa est: mea quoque lumina hanc certam probant.*
Rex *Sic ergo patrum decora, sic nostri potens*
Insigne Regni spernit insanus puer?
Celebrique ritu Patria insertum manu
Deponit audax annulum? hic error subest.
Suspicio quonam pronior vestra incubat?
Os. *Consaluus vnus occupat nostros metus.*
Non arte præstat vnica, cunctas tenet:
Fandi magister melleo inspergit dolo
Quidquid loquatur: cælitum fallax lepor
Deique Nectar ore simulantis fluit.

Igno-

Or. *Ignota vis eſt tabis, & quantum arguunt*
Effecta, magici carminis, & artis potens
Nexu tenaci qua lubet, mentes trahit.
Hic vnus animum ſemper obſedit pauor,
Nequis pererret extera tabis vapor
Arcana ſenſa principis. Non eſt amor,
Eſt inſolens inſania, eſt impos furor
Silueriam quo deperit princeps minor,
Quo iam ſuis auerſus, Europam colit.
„ *Natura ſe non pellit; eſt vis, eſt nefas*
Cui arduus ſuccumbat Henrici vigor.
Rex *Anceps vtrinque fluctuo. Fraudis metum*
Conſaluus hinc abſtergit; integritas, fides
Tam clara virtus reſpuunt labis notam.
Hinc annulus detractus inſtigat metus.
Quæ vota, quas congeſſit Henricus preces,
In hæc flagrans inſignia! & ſanus queat
Sua vota quiſquam temnere! in partes feror.
Or. *Aedes propinqua, ſi quod hic erat ſcelus,*
Auguſte celat, vnde regali carens
Princeps receſſit annulo, & longas vbi
Cum fratre duxit inde Conſaluus moras.
Rex *Luſtremus ædem, ſi quid hinc lucis micet.*

CHORVS

Sordet horrenda temerata cæde
Ara; suspenso spoliata regno
Poscit ereptos sibi crux honores:
Impio puber iugulatus ictu
Innocens fæde iacet, & nefandus
Auctor immanis sceleris triumphat
Compos optati; tumidisque votis
Deuorat maius scelus, & supremam
Fertur insanus Crucis in ruinam.
Et suas nondum fremebundus Aether
Fulminat clades? Scelerumque vindex
Languida friget patienter ira?
Seque despectum videt, & sereno
Sustinet ore?
Fulmen at nullum grauiora terris
Damna dispergit, nisi cum quiescit
Pæne sopita Deus vltor ira,
Et iubet mites sine clade soles
Currere, & lætas remeare noctes.
Pæna tunc peior sceleris fit ipsi
Maius adiectum scelus, & libido
Quolibet plene saturata tabo.

Sæpius fulmen iuuat, & nocentrum
Impetus frangit minitante flamma.
Mentis effrænę cohibet furores,
Disijcit longas scelerum catenas,
Et sinu vellit nimium feracis
Semina culpæ.
Sic renascentem domuisse tabem
Fertur Alcides mutilata torre
Colla flammanti iaculatus hydræ;
Tristis abscessit vigor, & malignis
Fæta defluxit sanies colubris:
Et suos Lernæ doluere pestes
Herculis flamma domitos vapores.
Crescit & semper grauiora peccat
Fraudis impunis scelerosus ardor.
Et prius crimen gradus est secundi,
Pœna si cessat. Vitiata morbus
Membra proserpẽs vorat, & propinquis
Virus instillat, nisi docta vires
Amputet morbi manus, & benigno
Sæuiat ferro, medicisque flammis,
Ne lues vltro furat, & proteruum
Integros artus populetur vlcus.
Nescius mulctæ teneris ab annis,
Absalon nullis hebetata pœnis
Ausa pertentat; iuuenilis æstus

Haurit ardores; sua vota patris
Vrget in sceptrum. Sibi rege dignos
Arrogat fastus, equitumque turmas,
Seque maiores famulantis aulæ
Excitat plausus: ita fraudulenta
Blandior primum sibi captat arte
Vota regnorum; patriosque furtim
Mussat in mores, patris & Tribunal
Frigidum damnat, populisque surdum.
Inde sat vento tumidus secundo
Impio in patrem ciet ære martem;
Et rebellantis scelerata regni
Signa sustollens ferus in parentis
Irruit ferro caput, vt coronam
Inde diuellat, soliumqne solus
Occupet patris nece purpuratum.
Tempori, quamuis pede claudicante
Pœna peruenit: fugit incitato
Proditor cursu, sceleris sed vltrix
Obstitit quercus, patuloque ramo
Abripit sparsos sine lege crines.
I rapax vultur, celeri, paternas
Suge Ceruices, rape iam coronas
Pensile pondus

ACTVS TERTIVS

SCENA PRIMA

Rex, Osmarus, Orcamus.

Rex *Heu dira, tristis, impia Eumenidum manu*
Cædes per aras edita! hæc tandem sacra,
Has victimas, hæc orgia, hos cultus amat
Peregrina pietas! Numini hoc ritu litat!
Os. *Istæ cruentos victimæ placant deos,*
,, *Hæc sanguinis piacula oblectant crucem.*
Or. *I nunc, & aurem crede syrenis dolis,*
Mystæque vocem, cœlites cœlum, Deum
In sua trahentem vota, securus bibe,
Atacuumque leges subde calcandas pius
Sacrificuli impudentiæ ignoti poli.
Rex *Quæ mentis aciē forma virtutum trahat,*
,,*Nisi quæ videtur? verus, an falsus color*
,, *Alliciat oculos, arbitro cordis Deo*
Patescit uni; quære quod summum queat
Proferre virtus, pulchrius idipsum sua
Consaluus arte nonne spectandum tulit?
,,*Arbitria vultus lumina, haud cordis tenent.*

OSE. *Larvata veri fronte pro veris probat*
„Quandoque visus falsa, tunc falli quoque
„Fallente visu sæpe prudentem decet.
„Sed odit aulam veritas, non quod placet,
„Non quod placere deceat, at quidquid putat
Placere posse rumor ad reges vehit.
Quæ tam ferox libido, quæ spes, quis furor
Consaluum adegit transgredi rerum vices,
Et per negatas ratibus Europæ vias
Inuersa mundi quærere, vt metam suo
Tandem labori statuat hæc orbis plaga?
An reris in sua lucra deuotum caput
Gratis tot obiectasse Consaluum malis?
„Nemo profusus temere fuit vnquam sui,
„Nec sibi, suisque, summa ni speret, perit.
Prætendit ille numen, vt tectus Deo
Irrepat animis gratior: Casrum sibi
Vincire mentes numine iniecto studet;
Non ille Templis inhiat, aut aras cupit,
Tua regna pius affectat; hæc sancta est fides,
Pietasque morum, cultus huc spectat crucis,
Mox te suorum subdere incautum iugo:
Hinc errat exul; regna, non christum petit.
REX. *Contemptor ille munerum oblatas opes*
Toruus repellit, terreum quidquid micat,
Proculcat, & mei appetens regni ardeat?

Ar-

Or. *Ardet, flagratque, dona quo refugit magis,*
,,Hoc ille feruet acrius. prædam petit,
,,Qui iactat escas; quando iactura est lucrũ;
,,Dum perdimus, lucramur; ingestas opes,
Gregesque opimos spargit in plebem manu
Sceptri appetente; munera ad messem iacit
Longe ampliorem: pellicit, inescat, rapit
Hac arte populos; armat in pestem tuam
Tua dona fraudis artifex; miserum tibi
Tuo per astum fabricat ex auro iugum.
Rex *Ita popularem munere instructus meo*
Consaluus auram captat! huc tantus fluit
Contemptus auri! sceptra paupertas amat!
Hinc fraudulentam subdolus spargit fidem,
Suisque nostrum sternit ad solium viam.
Os. *Hac fraude nuper Indiã, & quitũ Thetis*
Transgressa Gangem spumeo pulsat salo,
Primosque quidquid solis exortus videt,
Se iam tributa ferra Lusiadum cruci
Sero ingemiscit; Serpit & semper magis
Oriente toto glisoit hoc pestis genus;
Or. *Quæ regna sensim rabie inexpleta vorat.*
Sed tempori huc aduentat Augustus minor.

SCENA SECVNDA

Henricus, & qui supra.

Rex *REgem, ac parentem veneror, & dextram peto!*
Hē. *Sed tua quid expers annulo squallet manus?*
Hē. *Suspensus aris deuouet regnū Deo.*
Rex *Qua nempe tristis victima spumat cruor.*
Hē. *Qua nempe latus affluit cæli decor.*
Rex *Quas ibi latebras annulus furtim occupat.*
Hē *Fulgens patenti prominet fixus cruci.*
Rex *Hæc te pius mendacia impostor docet.*
Hē. *In sole tenebras fingit, in cælo Stygem.*
Rex *Et crux, & ara te palam falsi arguunt*
Hē. „ *Iam fassa* Christū *lingua mētiri nequit.*
Rex *Adhuc latere fraudis in gremio putas*
Scelerata fœda, horrenda lusiadum sacra?
Miseranda puber victima ante aras iacet.
Horrore torpent omnia, nec vllus cruci
Defixus hæret annulus; certo loquor.
Deprehensa visus, nuncij haud nutat fides.
Ipse ipse Templi in abdita ingressus modo
Hæc monstra vidi, & visa tractauit manus.
Hē. *Quis turbo fraudum, quæue, cocyti lues*
Hæc scelera mundo versat! heu tantū nefas
Au-

Audere quisquam potuit? hoc testor caput,
Et veritatis vindicem obtestor Deum;
Me nuper aris annulum inferno crucis
Aptasse clauo, supplices voto meo
Consaluus, Odoardus, atque vna duo
Aderant ephebi. nunc quis infanda nece
Aedem cruentat? annulum quanam rapit
Procella ditis? maius humano scelus
Inuasit aras; est nouum fraudis chaos.

Rex *Nouũ, execrandũ, pessimum; sed quis faber,*
Quis auctor? ipse regias claues gero,
Me præter vnum cui fores Templi patent?

Hē. *Solum sua quasi mole Consaluum premit*
Suspicio fraudis; mens perhorrescit tamen
Quacumque labe posse Consaluum infici.
„ *Sacras in ædes aliquis irrepit dolus.*

Rex *Obducta Tẽpli claustra præpulsant dolos.*

Hē. „ *Adulterinis clauibus, clausum est nihil.*

Rex *Quonam vagaris temere, si sontem tenes?*

Hē. „ *Præcelsa virtus criminũ est supra vices.*

Rex. „ *Simulata virtus captat ad fraudes locũ.*

Hē. „ *Simulare clarum nulla fax ausit diem.*

Rex *Spes nil inausum, regna cum sperat, sinit.*
Sed te quis error Nate, quis demens stupor
In hæc retrudit? partior sceptrum tibi,
Et annulum, cui colla subiectant Cafres,

In te repono; tu peregrinis dolis
Abreptus vltro proijcis, subdis cruci,
Et inter vngues stolidus Harpyiæ locas?
Me, te, tuosque regia nudas nota,
Et pæne hianti porrigis regnum spei?
Hē. *Vni Tonanti regna subieci pater.*
Rex *Hos in furores falsa te pietas agit,*
Ferueşque ineptas totus in bullas iners.
Moderatur astra numen; at Casrum plagas
Nobis regendas lege maiorum dedit.
Templum fideli militum serua globo
Orcame, cunctos arceant clausæ fores.
Tu nostra, patris dedecus, auorum probrum
Subire caueas ora, ni rursus manum
Regalis ornet annulus. prædam cito
Ni reuomat vltro, strage Consaluus graui
Casrum per oras claudet Europę vias.

SCENA TERTIA.

Remanent, Orcamus Selimus.

Or. N*Ondum meos exæquat ardores scelus;*
Adhuc calescit pigrius; quidquid potest,
„*Primos potest in impetus ardens furor.*
„*Mora fit vsque segnior. Nato parens*

Aegre

„ *Aegre repugnat, ſemper in partem ſui*
„ *Natura vergit. languidę fraudes iacent,*
„*Ni ventilentur fraudibus ſemper nouis.*
Sel. *Extrema peragat, aura dum ſpirat, furor*
„*Nec uſitatæ ſit modus fraudis, notæ*
Or. *Voti cruentum carmen Henrici manu*
1. *Scripta hæc papyrus continet, nuper cruci*
2. *Per me reuulſa. maximo regum uouet*
Hæc annulum, ſed Regis haud nomẽ liquet.
Chriſto ſacrari haud ambigo, at Chriſtũ tacet.
Quæcumque loquitur, cerne, Luſiadum cadũt
Sponte in Tyrannum; caſus en vltro tulit,
Quod nulla fraus ſperaſſet. Sel. *haud fingi*
Vel arte carmen aptius. Caſus fauet. (queat
Or. *Hanc ergo rite paginã obuolue, ac tege,*
Apte obuolutam defer Auguſtæ, ac prece
Ipſam fatigá, principis vt iſtam annulo,
Quem ſeruat illa, ſignet, ac reddat tibi.
Sel. *Quid ſi recuſet? explicem, an taceam dolũ?*
Or. *Tace; muliebris garrulum lingua eſt malũ.*
Mentire promptus aliquid. ad fraudem cales.
Sel. *Fingam recondi Syngraphas, tutam quaſi*
Petant Melindam principis ſigno viam.
Or. *Tunc Odoardo trade, qui nomen ſui*
Regis

1. oſtendit papyrum. 2. Dat paginam Selimo.

Regis superbis doctus inscribat notis.
Sel. *Quid illa sic instructa turbarum dabit?*
Or. *Quid illa non turbabit! & quos non aget*
Aperta motus! hospitum abreptum dolo
Mentita finget annulum, vt tandem Casrũ
In sceptra lusitanus insurgat tumor:
Sel. *Rem teneo; iussis obsequar cautus tuis.*

SCENA QVARTA.

Henricus Consaluus.

(puer,
Cõs. C*Coniurat in nos Erebus; hinc cæsus*
Hinc annulus subreptus ostentant
manum
Orci potentem, facibus instructam stygis.
Hẽ. *Tantum ne mitis spectat, & patitur nefas*
Ab axe vindex criminum! quales polo
Ardent in vsus fulmina! has fraudes ferunt?
Cõs. „ *Iam nullus esset orbis; vltrices faces*
„*Absorbuissent cuncta, si prona Deus*
„*Ferretur ira in fulmina; in solas minas*
„*Crebro resoluit fulmen: ad veniam tonat,*
„*Non ad ruinam, tolerat, vt parcat, scelus.*
Hẽ. *Ergo vt nocenti parcat insontẽ apprimat?*
Cõs. „ *Oppressa virtus pulcrior surgit Deo.*
Ad

„Aduersa, vel secunda decursu pari
„Sunt fluxa terris: quisquis æternis bonis
„Aspirat ardens, fausta, & infausta omnia
„Metitur æquis lancibus, nec plus sibi
„Vel hæc, vel illa ponderant. addi nihil,
„Nihil bonorum detrahi æternis potest.
„Magnanima virtus qualis ærumnis diu
„Attrita duris emicat! Gemmas edax
„Format rotarum turbo, virtutem labor.

Hē. Quævis, Auerni ex vnguibus raptū annulū
Eripere tentet, quæ remoliri scelus?

Cōs. Caligo ditis, noctis æternæ vapor
Furtum tenebris obruit; si quid tamen
Fas suspicari, sceleris auctores reor
Ex Agarena tabe. regnantem crucem
Qua fraude non oppugnet Orcami furor?

Hē. Quid si lauistæ guttur hoc ferro petam,
Vrgensque mortis exprimat furtum metus?

Cōs. Metum resoluet plurimus regis fauor
Quin pectus in nos concitum insensi Patris
Exasperabis grauius. impulsu meo
Quo furta calem, credet insontem peti.
„Quem regis ambit gratia, & fraudes tegūt,
„Vim nil timebit; irrita in se vis cadet.

Hē. „Arcana tortus euomet; veros dolor
„Veri minister extrahet demum sonos.

Su-

Cōſ. „*Suſpicio ſola ſceleris incertas adhuc*
„*Errans per vmbras iure cruciatus vetat.*
Hē. *Erumpere hæc in auſa, furtiuo fores*
Laxare ferro, quis niſi Orcamus poteſt?
Cōſ. *Potuere quotquot angue tartareo ferox*
„*In nos Megæra ſtimulat. haud vnam vomit*
„ *Perfidia peſtem; multiplex illa eſt malū,*
„*Et nos ceraſte rabida centeno petit.*
„*At dum ſceleſtas nulla præſignant manus*
„*Inditia, deſeuire in certum reum*
„*Noxa irreperta iuris integritas vetat.*
Hē. *Quid ſi patrati ſceleris inſpector latet*
Ephebus alter preſſus horrorifico metu?
Hic ſarracenæ fraudis iudicium feret.
Cōſ. *At iuſſa regis obſtruunt Templi vias,*
Multoque ſepit milite Orcamus fores.
Hē. *Tentare præſtat aditum. inaceſſum nihil*
„*Obſiſtit auro; cuncta peruincunt lucrum*
„*Metuſque, niſu quando conſpirant pari.*
Cōſ. *Optata Cælum ſoſpitet. Diuæ interim*
Lucis parenti ſupplices tendam manus,
Vt præſtet Aether, quam negat tellus, opem.

SCENA QVINTA

Odoardus Caiadus.

Od. *Regalia inter dona cafrensis plagæ,*
Nil ipse nostro gratius regi feram,
Quam rite Christo subditam Cafrum fidem.
Cai. *Finis laborum, meta conatus fuit*
Hæc vna nostri, Cafribus Christum dare,
Christoque Cafres, hæc mei voti est quies.

SCENA SEXTA.

Selimus, & qui supra.

Sel. *Has literas, Augusta quas signat nota,*
Regiq; vostro destinat princeps Ca-
Tecum ferendas trado; tu dignis modis (frũ,
Inscribe regis nomina, & honoris notas.
Od. *Medio repostas pectore fidelis geram.*
Sel. *Henricus idem clam repentina fuga,*
Quo te Paternæ subtrahas iræ, monet.
Od. *Me regis iræ subtraham? Quisnam tonat*
Repente nimbus? vnde tempestas ruit?
Sel. *Subreptus aris annulus, ad aras puer*
Fœde necatus regias iras mouent.

Tan-

Od. *Tantum, quis audet facinus?* Sel. *admissum patet.*
Scelus, patrator sceleris haud certo liquet.
Sed te furem Augustus, & fratrem tuum
Furtum reposcit, quippe vos vnos penes
Templi est potestas. cæteris clausum latet.
Od. *Sat nos suimet conscia, & veri arbitra*
Tuetur innocentia; est horror mihi (qui?
Tam triste nomen facimus an poteram exe-
Cai. *Tamen cauere principem iratum decet.*
Od. „*Cui nil inumbrat pectus, est cautũ satis*
Cai. „*Suspicio sæpe vana pro certa stetit.*
Od. „*Insons timebo?* Cai. *crimen alienũ time.*
Od. „*Meũ probabo.* Ca. *nõ trahit culpã timor*
Od. „*Suspicio vires capiet.* Ca. *amittet furor.*
Od. „*Crescens furori subdet hæc eadem faces.*
Cai. „*vanos furores veritas tandem domat.*
Od. „*Causam perorat innocens vultu reus*
Cai. „*Causam innocẽtis sæpe præcipitat dolus.*
Od. „*Indicia fraudis ipsa firmabit fuga.*
Cai. „*Indicia fraudis lenta dissoluet mora.*
Od. „*Qui nil timet, nil peccat.* Cai. *& qui non timet*
„*Quando est timendum, nil sapit. pronã nimis*
subitamque ad iras regiam noui manum;
Mox placidus idem mite ad ingenium redit.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Selimus, Orcamus.

Sel. TVis ſecundos exitus iuſſis dedi;
Cũ literis iam captat Odoardus fugã.
Amp. *Felix, & vltra vota præcedit ſcelus.*
Henricus auro militum tentat fidem,
Aditumque templi prodigus, & ardens petit,
Auroque vim permiſcet, & precibus minas.
Hæc ipſa anhelus trepidus Auguſto reſer.
Sel. *Ibo procella grauidus, atque æſtu tumens.*

SCENA OCTAVA.

Lochmanus, Lyſander.

Lo. *SErena nuper lumina, & frontis iubar,*
Quis tã repente triſtis infuſcat dolor?
Lyſ. *Ne quære luctus, reſugit ærumnas tuas*
Mea vox profari. nuncium infauſtũ horreo.
Lo. *Cælare amicum triſtia, horreſcas magis.*
Lyſ. *Heu ſortis atros turbines! fædum neſas!*
Euſebius heu flos puberum, atque aulæ nitor
Immani ad aras cæde iugulatus iacet.
Lo. *Heu me! Sed vnde triſtis erumpit ſonus?*
Lyſ. *E regis ore; viſa ſibi certus refert.*

Lo. *Occidimus. auram ducere heu pectus ne-*
Fratre interempto: fulminis partes obi (quit
In me dolor benignus; hoc magis pius
Quos sęuies crudelius. ego vnam queam
Horam carere fratre? quæ tandem foret
Mea vita, luce, spiritu, se ipsa carens!
Iaces gemelle frater! & viuo miser?
Aether maligne tantane in cœlo sinis
Regnare scelera! siccine iniusta regis
Hæc ima lance? sic trucidatum ferus
Spectare gaudes impia Eusebium nece?
Quod si placet sæuire, quin simul hoc caput
Absumis? At, ne sæuias æque, hoc negas.

Lys. *Quid astra damnas! Scelera cocytus tulit.*
Peccare tantum nequeat humanus furor.
Furialis hæc sunt ausa, non hominis manus.

Lo. *Pius est Auernus: has in exitium meum*
Europa furias vomuit; infandæ Cruci
Sacrilega nostro sanguine (heu facinus) litat.
Sed cur inanes segnis in questus fluo?
Vitæ sat est: in vulnera, in cædes rue
Dolor tui vltor. ipse lusiadum cruor
Præludat in mea funera; hoc ferrum calens
Tetro cruore gratius vitæ fibras
,,Mihi resecabit: emori vltorem iuuat;

Lys. *Heu siste. quo te rabidus impellit dolor!*

SCE-

SCENA NONA.

Henricus, Orcamus.

Hē. QVod imperare iure dominantis queo
Augustus hæres, limē in Sacrū precor
Mihi detur aditus, nullus addatur comes.
Or. Parere proli regiæ hic gestit cruor
Venis profusus; vltima hæc esset mei
Fortuna voti, sed meas nectit manus,
Frangitque memet Genitor Augustus. Sacrā
Aditus in ædem lege fulminea vetat.
Hē. ,,Lex vlla regum teneat augusto satum?
Or. ,,Natos paternæ sanctius leges tenent.
Hē. O iuris, & decoris interpres catus!
Or. Certe obsequentem regibus seruo fidem.
Hē. Certe obsequentem fraudibus seruas fidē.
Or. Quæ fraus tueri iussa regnantis Patris?
Hē. Quid? nil vereri prolis augustæ preces?
Or. Adoro germen regium. en supplex tuis
Substerno pedibus colla, ceruices preme,
Exquire ferro viscera, augustis flagrant,
Non aduenis; tua sceptra non alijs paro,
Tibi tuisque seruo, nec regni decus
Suspendo ad aras subdola vt furer manu,
Et, ne quis adsit testis, insontem neco.

Tibi, ac parenti sanguinem, vitam, mei
Hoc quidquid extat voueo; procalca obtere,
Tuum est; tuisque nutibus pronum iacet.
Hē. *Biceps auerni coluber hæc blando vibras.*
In nos venena sibilo? Et furti, & necis
Deforme crimen redolet Orcami manum.
Or. *Mactatæ ad aras victimæ Consaluū olent.*
1. Hē. *Hæc audio, nec totus in cædem ruo!*
2. Or. *En victima hic secunda Consaluo cadā.*

SCENA DECIMA.

Rex cum Selimo, & qui supra.

Rex *HHuc Odoardū nexibus vinctū trahe.*
Sed quem vibratus fulgor armorum petit?
Or. *Permitte mortem; moriar; exsaturet fera*
Consaluus odia, sanguinem Orcami bibat.
Hē. *Adhuc nefanda sibilat auerni draco?*
Rex *Desiste, telum conde vesanum caput.*
Hē. *Hoc ense grauius fulmen immittet polus.*
Rex *In mea rebellis iussa nudatur calybs.*
Et immerenti me sub Orcamo petit.
Aurone prolis emimur, & ferro simul
Pene iugulamur? siccine paternas pius
Leges vereris? perque despectum patrem

Gladium educet 2. Genuflectit.

Moliris audax impiam in Templum viam?
Hē. *Perquiro veri semina, hinc tantum flagro*
Subire Templum, sceleris vt verax color
Emergat vmbris, non vt obsistam tuis
,,*Auguste iussis.* Rex. *Quidquid inuito* Patre,
,,*Vetante rege peragis, est semper nefas.*
Sunt hæc tua simul crimina, & non sunt tua.
Consaluus ea pertentat; vt fossum super
Cadauer, inter cæde spumantes cruces
Redauspicetur fascinum veneficus,
Nouaque nostros compede furores liget.
Hē. *Tu sarracenas viperas nutris sinu*
Dilecte Genitor. (amplius nam cur tacens.
Dissimulo?) serpit virus, & regnum
inficit.
Fæx agarena regnat: hæc Auiæ hæc Patri,
Tristi insusurrat sibilo; sed non mihi.
Heu Sarracenos vultures! pecus hoc rapax
Tua regna lacerat, filium temet, Deum.
Rex *Abscede vecors, impudens, stultum caput.*
Patri rebellis sequere Consalui dolos
Regna belluantes vultures nutri Pius.
Hē. *Fraudes patescent, timeo, ne sero nimis.*
Amp. *Non peccat vltro, rapitur Augustus puer*
Magicoque ab æstu mentis haud cōpos furit.

SCENA VNDECIMA.

Selimus. Odoardus vinctus, & qui supra.

(uor?

Rex QVisnam fugaces impulit gressus pa-
Od. Tua fugiam dona? pauea ab amica
„Nemo pauescit innocẽs, nemo fugit. (manu?
Rex Tua furta perduellis, & fraudes times;
Od. Horresco fœda nomina. R. at factis probas.
Od. A me, peracta vita, relligio, fides,
Mores, propago generis hæc longè amouent.
Vincire poteris, reddere haud sontem potes:
Rex Mox arrogantis defluet linguæ tumor.
1. Exquire vestis abdita, explora sinum.
Cui destinantur litteræ, & cuius manu?
Od. Mea, meũq; præferunt regẽ, nota (rubent
Rex Qua forma signi? Od. regia. R. heu fœdo
Nota cruore. Orc. magicus hic horret color

Selimus legit literas.

Tibi imperantum maxime, & regũ arbiter,
Cuius potentem geminus ad nutum polus
Sua curuat astra, regiæ hanc dextræ notam,
Hunc rite supplex annulũ Henricus sacrat,
Et regna Casrum, seque cum regnis dicat.

Ea

Selimus exquirit sinum Odoardi, literas eripit.

Et tu capesse quantula ea sunt tu rege.
Sel. *Quis nostra subdi regna lusiade negat.*
Rex *Ah proditores, ergo lusiadum iugo*
Mea deuouetis regna? vos prolem meam
In me rebellem facitis, infensam sibi,
Suamet perosam sceptra, genitores, deos?
Quæ vos tulit vorago, quod monstri genus,
Quis turbo, quæ procella, quis cæli furor,
Odiumue Ditis? Africa draconũ est parens,
Europa cunctas genuit in vobis feras.
Nec umbra fraudis, ipse se prodit dolus.
Sinus latebræ furta iam nostri annuli,
Furta hęc papyrus furta proclamant notæ.
Od. *Non exteris, hęc pagina; at Christo uouet*
Tua regna princeps, syngrapha hęc voti stetit
suffixa nuper annulo augusta in cruce.
Rex *Quã nẽpe tecum deuehas iunctam annulo!*
Od. *Quam mihi Selimus inscio clausam dedit,*
Rex *Quippe obseratis foribus è Templo tulit.*
Od. *Tulisse noui; quo modo aut qua vi latet.*
Rex *Sperare pergin impudens furti reus*
„*Velamen vllum criminis? quis sit nocens,*
„*Si qui recondit syngrapham furti sinu*
„*Credatur insons? Osmare hunc ferro grauem*
Detrude turris regię in tetrum specus,
Turrisque tua sit peruigil custos fides.

CHORVS

Semper infenſis inimica formis
Bina decertant elementa, Siccis
Humida pugnant, Calidiſque nocent
Frigida ſemper. Dedit appoſitis.
Hoc ingenium natura parens,
Similes nunquam ſumere vultus.
Nulla ſecuram ſimulare frontem
Auſa, Formido; nec amoris æſtum
Vlla prætendit rabies; nec ore
Ira pacato truculenta riſit.
Quidquid eſt virtus, vitiumue, mores
Horret alternos, odioſa numquam
Vnum alterius ſurripit ora.
Sola communem temerare legem
Falſitas audet; capit illa formas
Semper aduerſas, ſpolijſque veri
Falſa conueſtit, nec adire lucem
Publicam tentat, niſi veritatis
Clara mentito gerat ora vultu.
Dederat virtus alma Creatrix
Arbitræ voci, fideique linguæ
Senſa profundæ promere mentis;

Vtra-

Vtraque è ſtrygij tabe colubri
Sibi degeneres auſere dolos.
Hinc fallaci ſparſere ſono
Verba loquenti diſsona cordi.
Garrit humanas imitata voces
Auis occidus edita ſiluis
Orbis ignoti veterum carinis,
Innocens muto tamen illa corde
Non ſuos diſcit reſonare bombos.
Heu probra vocis!fæde animantum
Vincimur brutis, fera nulla falſos
Exprimit ſenſus animo latentes,
Edit varios quæque boatus,
Quibus arcanos loquitur motus:
Signat hic iras, notat hic amores
Ille mærentis, metuentis ille
Senſa depomit, ſua quiſque ſeruat
Signa fidelis, pectoris index.
Mille Canoro medulantur aues
Gutture cantus, nequit vlla tamen
Pectori diſcors ſimulare carmen.
At cur homini Natura negas
Conceſſa feris ſymbola vocis
Ignara doli, quibus expandat
Impotens fraudis penetrale metis?
At ſi nulli ſubiecta dolo

Regis superbis doctus inscribat notis.
Sel. *Quid illa sic instructa turbarum dabit?*
Or. *Quid illa non turbabit! & quos non aget*
Aperta motus! hospitum abreptum dolo
Mentita finget annulum, vt tandem Casrũ
In sceptra lusitanus insurgat tumor:
Sel. *Rem teneo; iussis obsequar cautus tuis.*

SCENA QVARTA.

Henricus Consaluus.

(puer,
Cõs. *Coniurat in nos Erebus; hinc cæsus*
Hinc annulus subreptus ostentant manum
Orci potentem, facibus instructam stygis.
Hẽ. *Tantum ne mitis spectat, & patitur nefas*
Ab axe vindex criminum! quales polo
Ardent in vsus fulmina! has fraudes ferunt?
Cõs. „ *Iam nullus esset orbis; vltrices faces*
„*Absorbuissent cuncta, si prona Deus*
„*Ferretur ira in fulmina; in solas minas*
„*Crebro resoluit fulmen: ad veniam tonat,*
„*Non ad ruinam, tolerat, vt parcat, scelus.*
Hẽ. *Ergo vt nocenti parcat insontẽ apprimat?*
Cõs. „ *Oppressa virtus pulcrior surgit Deo.*

Ad

„Aduersa, vel secunda decursu pari
„Sunt fluxa terris: quisquis æternis bonis
„Aspirat ardens, fausta, & infausta omnia
„Metitur æquis lancibus, nec plus sibi
„Vel hæc, vel illa ponderant. addi nihil,
„Nihil bonorum detrahi æternis potest.
„Magnanima virtus qualis ærumnis diu
„Attita duris emicat! Gemmas edax
„Format rotarum turbo, virtutem labor.
Hē. Quævis, Auerni ex vnguibus raptū annulū
Eripere tentet, quæ remoliri scelus?
Cōs. Caligo ditis, noctis æternæ vapor
Furtum tenebris obruit; si quid tamen
Fas suspicari, sceleris auctores reor
Ex Agarena tabe. regnantem crucem
Qua fraude non oppugnet Orcami furor?
Hē. Quid si lauistæ guttur hoc ferro petam,
Vrgensque mortis exprimat furtum metus?
Cōs. Metum resoluet plurimus regis fauor
Quin pectus in nos concitum insensi Patris
Exasperabis grauius. impulsu meo
Quo furta calem, credet insontem peti.
„Quem regis ambit gratia, & fraudes tegūt,
„Vim nil timebit; irrita in se vis cadet.
Hē. „Arcana tortus euomet; veros dolor
„Veri minister extrahet demum sonos.

Su-

Cōſ. „*Suſpicio ſola ſceleris incertas adhuc*
„*Errans per vmbras iure cruciatus vetat.*
Hē. *Erumpere hæc in auſa, furtiuo fores*
Laxare ferro, quis niſi Orcamus poteſt?
Cōſ. *Potuere quotquot angue tartareo ferox*
„*In nos Megæra ſtimulat. haud vnam vomit*
„*Perfidia peſtem; multiplex illa eſt malū,*
„*Et nos ceraſte rabida centeno petit.*
„*At dum ſceleſtas nulla præſignant manus*
„*Inditia, deſeuire in certum reum*
„*Noxa irreperta iuris integritas vetat.*
Hē. *Quid ſi patrati ſceleris inſpector latet*
Ephebus alter preſſus horrorifico metu?
Hic ſarracenæ fraudis iudicium feret.
Cōſ. *At iuſſa regis obſtruunt Templi vias,*
Multoque ſepit milite Orcamus fores.
Hē. *Tentare præſtat aditum. inaceſſum nihil*
„*Obſiſtit auro; cuncta peruincunt lucrum*
„*Metuſque, niſu quando conſpirant pari.*
Cōſ. *Optata Cælum ſoſpitet. Diuæ interim*
Lucis parenti ſupplices tendam manus,
Vt præſtet Aether, quam negat tellus, opem.

SCENA QVINTA

Odoardus Caiadus.

Od. *Regalia inter dona cafrensis plagæ,*
Nil ipse nostro gratius regi feram,
Quam rite Christo subditam Cafrum fidem.
Cai. *Finis laborum, meta conatus fuit*
Hæc vna nostri, Cafribus Christum dare,
Christoque Cafres, hæc mei voti est quies.

SCENA SEXTA.

Selimus, & qui supra.

Sel. *Has literas, Augusta quas signat nota,*
Regiqꝫ vostro destinat princeps Ca-
Tecum ferendas trado; tu dignis modis (frũ,
Inscribe regis nomina, & honoris notas.
Od. *Medio repostas pectore fidelis geram.*
Sel. *Henricus idem clam repentina fuga,*
Quo te Paternæ subtrahas iræ, monet.
Od. *Me regis iræ subtraham? Quisnam tonat*
Repente nimbus? vnde tempestas ruit?
Sel. *Subreptus aris annulus, ad aras puer*
Fœde necatus regias iras mouent.

Tan-

Od. *Tantum quis audet facinus?* Sel. *admissum patet.*
Scelus, patrator sceleris haud certo liquet.
Sed te furem Augustus, & fratrem tuum
Furtum reposcit, quippe vos vnos penes
Templi est potestas. cæteris clausum latet.
Od. *Sat nos suimet conscia, & veri arbitra*
Tuetur innocentia; est horror mihi
Tam triste nomen facimus an poteram exe- (qui?
Cai. *Tamen cauere principem iratum decet.*
Od. „*Cui nil inumbrat pectus, est cautũ satis*
Cai. „*Suspicio sæpe vana pro certa stetit.*
Od. „*Insons timebo?* Cai. *crimen alienũ time.*
Od. „*Meũ probabo.* Ca. *nõ trahit culpã timor*
Od. „*Suspicio vires capiet.* Ca. *amittet furor.*
Od. „*Crescens furori subdet hac eadem faces.*
Cai. „*vanos furores veritas tandem domat.*
Od. „*Causam perorat innocens vultu reus*
Cai. „*Causam innocẽtis sæpe præcipitat dolus.*
Od. „*Indicia fraudis ipsa firmabit fuga.*
Cai. „*Indicia fraudis lenta dissoluet mora.*
Od. „*Qui nil timet, nil peccat.* Cai. *& qui non timet*
„*Quando est timendum, nil sapit. pronã nimis*
subitamque ad iras regiam noui manum;
Mox placidus idem mite ad ingenium redit.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Selimus, Orcamus.

Sel. *TVis secundos exitus iussis dedi;*
Cũ literis iam captat Odoardus fugã.
Amp. *Felix, & vltra vota pracedit scelus.*
Henricus auro militum tentat fidem,
Aditumque templi prodigus, & ardens petit,
Auroque vim permiscet, & precibus minas.
Hæc ipsa anhelus trepidus Augusto refer.
Sel. *Ibo procella grauidus, atque æstu tumens.*

SCENA OCTAVA.

Lochmanus, Lysander.

Lo. *SErena nuper lumina, & frontis iubar,*
Quis tã repente tristis infuscat dolor?
Lys. *Ne quære luctus, refugit ærumnas tuas*
Mea vox profari. nuncium infaustũ horreo.
Lo. *Cælare amicum tristia, horrescas magis.*
Lys. *Heu sortis atros turbines! fœdum nefas!*
Eusebius heu flos puberum, atque aulæ nitor
Immani ad aras cæde iugulatus iacet.
Lo. *Heu me! Sed vnde tristis erumpit sonus?*
Lys. *E regis ore; visa sibi certus refert.*

Lo. *Occidimus. auram ducere heu pectus ne-*
Fratre interempto: fulminis partes obi (quit
In me dolor benignus; hoc magis pius
Quo sęuies crudelius. ego vnam queam
Horam carere fratre? quæ tandem foret
Mea vita, luce, spiritu, se ipsa carens!
Iaces gemelle frater! & viuo miser?
Aether maligne tantane in cælo sinis
Regnare scelera! siccine iniusta regis
Hæc ima lance? sic trucidatum ferus
Spectare gaudes impia Eusebium nece?
Quod si placet sæuire, quin simul hoc caput
Absumis? At, ne sæuias æque, hoc negas.

Lys. *Quid astra damnas! Scelera cocytus tulit.*
Peccare tantum nequeat humanus furor.
Furialis hæc sunt ausa, non hominis manus.

Lo. *Pius est Auernus: has in exitium meum*
Europa furias vomuit; infandæ Cruci
Sacrilega nostro sanguine (heu facinus) litat.
Sed cur inanes segnis in questus fluo?
Vitæ sat est: in vulnera, in cædes rue
Dolor tui vltor. ipse lusiadum cruor
Præludat in mea funera; hoc ferrum calens
Tetro cruore gratius vitæ fibras
,,Mihi resecabit: emori vltorem iuuat;

Lys. *Heu siste. quo te rabidus impellit dolor!*

SCE-

SCENA NONA.

Henricus, Orcamus.

Hē. *QVod imperare iure dominantis queo*
Augustus hæres, limē in Sacrū precor
Mihi detur aditus, nullus addatur comes.
Or. *Parere proli regiæ hic gestit cruor*
Venis profusus; vltima hæc esset mei
Fortuna voti. sed meas nectit manus,
Frangitque memet Genitor Augustus. Sacrā
Aditus in ædem lege fulminea vetat.
Hē. ,,*Lex vlla regum teneat augusto satum?*
Or. ,,*Natos paternæ sanctius leges tenent.*
Hē. *O iuris, & decoris interpres catus!*
Or. *Certe obsequentem regibus seruo fidem.*
Hē. *Certe obsequentem fraudibus seruas fidē.*
Or. *Quæ fraus tueri iussa regnantis Patris?*
Hē. *Quid? nil vereri prolis augustæ preces?*
Or. *Adoro germen regium. en supplex tuis*
Substerno pedibus colla, ceruices preme,
Exquire ferro viscera, augustis flagrant,
Non aduenis; tua sceptra non alijs paro,
Tibi tuisque seruo, nec regni decus
Suspendo ad aras subdola vt furer manu,
Et, ne quis adsit testis, insontem neco.

Tibi, ac parenti sanguinem, vitam, mei
Hoc quidquid extat voueo; procalca obtere,
Tuum est, tuisque nutibus pronum iacet.

Hē. *Biceps auerni coluber hæc blando vibras.*
" *In nos venena sibilo? Et furti, & necis*
" *Deforme crimen redolet Orcami manum.*

Or. *Mactatæ ad aras victimæ Consaluũ olent.*

1·Hē. *Hæc audio, nec totus in cædem ruo!*

2·Or. *En victima hic secunda Consaluo cadã.*

SCENA DECIMA.

Rex cum Selimo, & qui supra.

Rex *HucOdoardũ nexibus vinctũ trahe.*
Sed quem vibratus fulgor armorum petit?

Or. *Permitte mortem; moriar; exsaturet fera*
Consaluus odia, sanguinem Orcami bibat.

Hē. *Adhuc nefanda sibilat auerni draco?*

Rex *Desiste, telum conde vesanum caput.*

Hē. *Hoc ense grauius fulmen immittet polus.*

Rex *In mea rebellis iussa nudatur calybs.*
Et immerenti me sub Orcamo petit.
Aurone prolis emimur, & ferro simul
Pene iugulamur? siccine paternas pius
Leges vereris: perque despectum patrem

1. Gladium educet 2. Genuflectit.

Moliris audax impiam in Templum viam?
Hē. *Perquiro veri semina, hinc tantum flagro*
Subire Templum, sceleris vt verax color
Emergat vmbris, non vt obsistam tuis
,,*Auguste iussis.* Rex. *Quidquid inuito Patre,*
,,*Vetante rege peragis, est semper nefas.*
Sunt hæc tua simul crimina, & non sunt tua.
Consaluus ea pertentat; vt fossum super
Cadauer, inter cæde spumantes cruces
Redauspicetur fascinum veneficus,
Nouaque nostros compede furores liget.
Hē. *Tu sarracenas viperas nutris sinu*
Dilecte Genitor. (amplius nam cur tacens.
Dissimulo?) serpit virus, & regnum
inficit.
Fæx agarena regnat: hæc Auiæ hæc Patri,
Tristi insusurrat sibilo; sed non mihi.
Heu Sarracenos vultures! pecus hoc rapax
Tua regna lacerat, filium temet, Deum.
Rex *Abscede vecors, impudens, stultum caput.*
Patri rebellis sequere Consalui dolos
Regna belluantes vultures nutri Pius.
Hē. *Fraudes patescent, timeo, ne sero nimis.*
Amp. *Non peccat vltro, rapitur Augustus puer*
Magicoque ab æstu mentis haud cōpos furit.

SCENA VNDECIMA.

Selimus. Odoardus vinctus, & qui supra.

(uor?
Rex *O Visnam fugaces impulit gressus pa-*
Od. *Tua fugiam dona? pauea ab amica*
,,Nemo pauescit innocēs, nemo fugit. (manu?
Rex *Tua furta perduellis, & fraudes times;*
Od. *Horresco fœda nomina.* R. *at factis probas.*
Od. *A me, peracta vita, relligio, fides,*
Mores, propago generis hæc longè amouent.
Vincire poteris, reddere haud sontem potes.
Rex *Mox arrogantis defluet linguæ tumor.*
1. *Exquire vestis abdita, explora sinum.*
Cui destinantur litteræ, & cuius manu?
Od. *Mea, meũq; præferunt regẽ, nota (rubent*
Rex *Quæ forma signi? Od. regia.* R. *heu fœdo*
Nota cruore. Orc. magicus hic horret color

Selimus legit literas.

Tibi imperantum maxime, & regũ arbiter,
Cuius potentem geminus ad nutum polus
Sua curuat astra, regiæ hanc dextræ notam,
Hunc rite supplex annulũ Henricus sacrat,
Et regna Cafrum: seque cum regnis dicat.

Ea

1. Selimus exquirit sinum Odoardi, literas eripit.

Ea tu capesse quantula ea sunt tu rege.
Sel. *Quis nostra subdi regna lusiade negat.*
Rex *Ah proditores. ergo lusiadum iugo*
Mea deuouetis regna! vos prolem meam
In me rebellem facitis, infensam sibi,
Suamet perosam sceptra, genitores, deos?
Quæ vos tulit vorago, quod monstri genus,
Quis turbo, quæ procella, quis cæli furor,
Odiumue Ditis? Africa draconũ est parens,
Europa cunctas genuit in vobis feras.
Nec vmbra fraudis, ipse se prodit dolus.
Sinus latebræ furta iam nostri annuli,
Furta hęc papyrus furta proclamant notæ.
Od. *Non exteris, hęc pagina, at Christo uouet*
Tua regna princeps, syngrapha hęc voti stetit
suffixa nuper annulo augusta in cruce.
Rex *Quã nẽpe tecum deuehas iunctam annulo!*
Od. *Quam mihi Selimus inscio clausam dedit,*
Rex *Quippe obseratis foribus è Templo tulit.*
Od. *Tulisse noui; quo modo aut qua vi latet.*
Rex *Sperare pergin impudens furti reus*
„*Velamen vllum criminis? quis sit nocens,*
„*Si qui recondit syngrapham furti sinu*
„*Credatur insons? Osmare hunc ferro grauem*
Detrude turris regię in tetrum specus,
Turrisque tua sit peruigil custos fides.

CHORVS

SEmper infenſis inimica formis
Bina decertant elementa, Siccis
Humida pugnant, Calidiſque nocent
Frigida ſemper. Dedit appoſitis.
Hoc ingenium natura parens,
Similes nunquam ſumere vultus.
Nulla ſecuram ſimulare frontem
Auſa, Formido; nec amoris æſtum
Vlla prætendit rabies; nec ore
Ira pacato truculenta riſit.
Quidquid eſt virtus, vitiumue, mores
Horret alternos, odioſa numquam
Vnum alterius ſurripit ora.
Sola communem temerare legem
Falſitas audet; capit illa formas
Semper aduerſas, ſpolijſque veri
Falſa conueſtit, nec adire lucem
Publicam tentat, niſi veritatis
Clara mentito geratora vultu.
Dederat virtus alma Creatrix
Arbitræ voci, fideique linguæ
Senſa profundæ promere mentis;

Vtra-

Vtraque è ſtrygij tabe colubri
Sibi degeneres auſere dolos.
Hinc fallaci ſparſere ſono
Verba loquenti diſsona cordi.
Garrit humanas imitata voces
Auis occidus edita ſiluis
Orbis ignoti veterum carinis,
Innocens muto tamen illa corde
Non ſuos diſcit reſonare bombos.
Heu probra vocis! fœde animantum
Vincimur brutis. fera nulla falſos
Exprimit ſenſus animo latentes,
Edit varios quæque boatus,
Quibus arcanos loquitur motus:
Signat hic iras, notat hic amores
Ille mærentis, metuentis ille
Senſa depromit, ſua quiſque ſeruat
Signa fidelis, pectoris index.
Mille Canoro medulantur aues
Gutture cantus, nequit vlla tamen
Pectori diſcors ſimulare carmen.
At cur homini Natura negas
Conceſſa feris ſymbola vocis
Ignara doli, quibus expandat
Impotens fraudis penetrale metis?
At ſi nulli ſubiecta dolo

Sonet humani tessera cordis
Lingua, nec falsis tegere inuolucris
Mentis arcanas queat illa voces,
Nulla secretos animi recessus
Claustra munirent; fera vis Tyranni
Cincta tormenris, per opaca cordis
Animique imas ire lutebras
Posset, & sacris adytis potiri
Abditæ mentis. Sociata viui
Membra defunctis, vteroue tauri
Torta torrentis penitus reposta
Sensa laxarent licet obstinatis
Obsita claustris.

ACTVS QVARTVS

SCENA PRIMA

Orcamns, Osmarus.

Or. *Aura secunda vehimur, & portum (prope*
Pene intuemur; non tamen cœlo aut (mari
Fidam *serenis. fortior restat dolus.*
Ad Odoardum Turris obstrictum sinu
Me rex iubet subire, quo raptum annulum;

Vt

Vt ipse retur, arte quacunque eruam.
Iam Turris ista fomitem ad fraudes nouas
Offert, nouisque incendijs follem dabit.
Os. *Quo te sagacis æstus ingenij trahit?*
Or. *Stat Odoardum soluere, vt liber ferat*
Quocũq; gressũ. Osm. *Capitis vt pęnã luã,*
Cum fama sontem Turre dilapsum fremet?
Or. *Fraus ipsa nos tutatur.* Hac *scriptum manu*
Chirographum, regisque signatum annulo
Tibi Odoardus deferet clarum suę
Prçconium innocentię, vt liber pedem
Plagas per omnes gratus Augusto ferat.
Veneratus ipse regię signum notę
Fores relaxa fraude securus mea.
Os. *Tu fraudis auctor, sontis elapsi reus*
Quę lucra fraudis rege deluso geres?
Or. *Quę lucra? cędes hostium, excidium crucis.*
Os. *Quid? tanta perages turris ex imo specu?*
Or. Ne *quęre. Tempus aptius fraudi perit.*
Lycum vocemus, adsit vt fraudis comes.
Os. *Quęcumq; ad ausa tutus Orcamum sequor.*

SCENA SECVNDA

Henricus, Consaluus, Caiadus.

Hē. *Celeris procella rapimur, & sēper nouo*
Agitamur æstu, dubius huc illuc agor.
Vos plura docti, vos quibus longo sapit
Aetas ab vsu regite nutantem pedem
Cōs. *Optata Princeps, hora quæsitæ necis*
Aestu beato subripit memet mihi:
Spe iam propinqua vulnerum in venis cruor
Subsultat, ægre cuspidum suffert moras.
Inane spolium, cineris hoc sordens onus
Felix relinquam, liber, vt cælo fruar.
Sed me quis imber nectaris, qualis liquor,
Quæ vena cæli, quantus absorbet Deus!
Me ter beatum! Tela quid torpent? feri
Optate lictor, finde: cur parcam geris
Telis pharetram. quidquid ex armis nocet
Infige; pectus vulnerum est ample capax
Christe mea lux, meus Amor, angustum est nimis
Mors vna donum; da tamen dulcis Pater
Innumera saltem vulnera, immensus dolor
Implere valeant plurimę mortis vicem.
Cai. *Anhelat, ardet, rapitur & lætis modis*

Præ-

Præludit in sua vota correptus Deo.

Cõſ. *Sed quo vagaris anime? Te frater vocat*
Poſcitque dextram. Regius non iam furor
Henrice me deterret; igneſcit cito,
Cituſque ſponte languet; at peior metus
Mea quaſſat oſſa: ſemper Auguſto noua
Miniſtrat odij pabula, & plenus dolis
Linguæ flabello ſpirat Orcamus ſtygem.

Hẽ. *Quæ vis, quis artes impias franget labor?*

Cõſ. *Tua certe opinor, lingua, quæ gratũ* Patri
Stillare nectar voce flexanima ſolet,
Tu tabida anguis ſibila, & virus loquax
Peſtis canoræ, vocis ambroſia tuæ
,,*Reſtingue Patri. Semper eſt concors ſibi*
,,*Natura, ſemper aſſonat quiddam* Patris
,,*Prolis ſuſurrus, ſenſaque paterna occupat.*

Hẽ. *Suſpecta mea vox obſtrepet ad aures patris.*

Cõſ. *Suſpicio pondere victa naturæ cadet.*

Hẽ. *In me loquentes ille vos ipſos timet.*

Cõſ. *In te ſua ille viſcera inſenſus licet,*
Suoſque amores ſentit, & ſummam ſpei.
,,*ſi per meatus aureos curſus agit,*
,,*Magis metallum lympha, quã fontem ſapit.*
Si non domabis pectoris motus feros,
Certe refringes, & ſalutarem trahes
,,*Moram ruinæ, Veritas recti memor,*

Om-

„*Omnisque labis innocens frontis nitor*
„*Odiosa quamuis obstrepant fraudes domāt.*
He. *Quacumq;maior lege mihi tua vox sonat;*
In tua libenter monita festinus feror.
Cai. *Laudo obsequentis studia;sed cautus timor*
Vocat retrorsum. Nempe Consalui dolis
Magicisque sacris credit illusus parens
Te fascinatum, perditū, atque animi impotē
Temet, parentem, regna in Europæ fidem
Iam tradidisse; grauius hic regem dolor,
Quam cura mordet annuli. Nunc si patrem
Patrocinator capitis inuisi vrgeas,
Et verba fletu mollias, fletum prece,
Ne refricentur vulnera, est sanus metus.
„*Pars est parentis filius: partem sui*
„*Sentit reuelli genitor, auersum sibi*
„*Si quando natum cernat. est prolis tenax*
„*Amor paternus, sæuius at idem furit,*
„*Si fraude prolem credat aliena rapi.*
„*Natura nil vlciscitur, & horret magis,*
„*Quam furta amoris; Rex in Henrici prece,*
Fletuque tua Consalue sibi finget ferox
Furta innocentis prolis, & amoris sui.
Rem pende. Patri forte quas fundes preces,
Fient furoris pabula Orcamo fabro.
Hē. *Ergo ruinam deses inspectem vltimam?*

Au-

Cai. *Audere praestat aliquid, & quãdo innocẽs*
,,Imago veri, sceleris in regno nocet,
,,Tegatur arte. finge in obsequium Patris
Mutasse mentem, finge Consaluum tuo
Animo labantem, pene iam furti reum
Nutante suspicare suspensus fide.
Tibi parentem redde, tum certam moram
Parabis ire, ne quod attentet scelus,
Donec tenebris veritas pulsis micet.
Hẽ. *Hoc pectus horret, refugit hic vultus color*
Figmenta in haec se flectere; haud vnquam excidet
Hoc pectore, aut hoc ore Consalui *fides.*
,,Sit vera, sit conficta fraus numquam placet.
Cõs. *Lux alma* Diuae *mentis errantem gradũ*
Quo tua voluptas vergit, afflictis rege.

SCENA TERTIA

Odoardus, & qui supra.

Cai. Q*Vae forma visũ fallit? est verus color?*
An larua inani lumina obtutu ferit?
Od. *Non vana ludit vmbra, nec fictus color,*
Verus Odoardus exuli-e Turri pedem.
Cõs. Proh *sancte mundi rector arcano mouens*
Haec ima nutu, gaudia è luctu paras?

Tam

Tam clara densis lumina enimbis vocas?

Hē. *Sollicita de te cura, discrucians timor*
Huc nos coegit, iamque tam præceps malū
Quæsita quamuis nulla sistebat mora.
At tu repente dissipas liber metus.
Expone causas. Od. *Causa mortalis latet,*
Solam Tonantis prodigam agnosco manum.
Turri sub-ima conditus, ferro pedes
Manusque cinctus alacer ærumnas meas
Solabar innocentia, & nixus Deo
Simulacra tristis pene ludebam necis.
Et ecce Turris intima Orcamus subit
Vnaque famulus, ore ridenti prius
Soluit catenas, inde placatos refert
In me furores regis, & chirographum
Signo notatum regio donat, noua
Regale pignus gratiæ, e turri simul
Me liberum deducit & pandit fores.
Peracta narro, somnij at speciem gerunt.
1. *En hic fideles pagina ostentat notas.*

Cai. *Regale signum nosco, & Orcami manū.*

Hè. *Tam subita, tam diuersa permutat vices*
Sortis libido? nunc in extremas parens
Feruescit iras; mitis in Amoris notas
Nunc vertit odia? Vincit, & soluit reum!

Vel

1. Chirographum ostendit.

Cōſ. *Vel hæc Tonantis valida molitur manus,*
Vel ſunt Auerni monſtra, vel ſætam dolis
Sub hac papyro machinam Orcamus rotat.
Hē. *Fauſta ominemur: Erutum è mortis ſinu*
„Læti Odoardum cernimus. ſæpe optima
„Quamnis maligna carpſit e cauſa Deus.
Quid iam ſubire Patris aſpectum vetat?
Cai. *Quid ſi dolus ſubſidat? Auguſti prius*
Scrutemur iras; vnde felices trahat
Fortuna motus, aula quod murmur ferat.
Et inde regem tutius adiri placet.
„Semel ſoluta, cautior vitat plagas
„Auis doloſas. ipſe prænoſcam celer
Quæ ſenſa regis, quoue perſiſtant loco.
Cōſ. *Tua mens probatur, interim grates Deo,*
Diæque matri rite ſoluamus preces.

SCENA QVARTA

Rex Selimus.

Rex Q*Væ ſpectra fingis? libere vinclis fu-* *(gam*
Odoardus ornat? & meas ridet mi-
nas?
Sel. *Perſpecta refero; liber Odoardus fugit.* *(des.*
Rex *„Cuſtos vocetur Turris. Hæc aulæ eſt fi-*
„Hebeſcit auri fulgure, & tandem ruit.

„Cui credere ausim? quotquot augusto caput
Grauamus auro, turpe venales sumus,
Liber Odoardus errat, an vinctus iacet?
Os. Ad tua solutus iussa iam liber meat.
Rex Tua lucra, regis iussa mentiris scelus?
Os. Hæc nempe probra candida meretur fides?
Rex Tormenta pretio sordida meretur manus.
Os. Edicta regis colere perfidiæ est scelus?
Rex Edicta regis? Osm. Certa regali nota.
Rex Quis illa scripsit? Osm. Integra Orcami manus.
Rex Quid his iubetur? Osm. Turris Odoardum specu
Quippe innocentem fraudis actutū extrahi:
Rex Mens sibi rebellat, ratio luctatur sibi.
Orcamus hæc? quod regnat in Cælo nefas!
Os. Quid si putauit tutius posse extrahi
„Hac arte prædam? sæpe generosus rigor
„Mollitur indulgentia; obdurat minis:
„Fortem nocentis indolem, insontis nota,
„Nomenque flectit, pęna quæ sontem arguit,
„Ne detegatur crimen, occultat magis.
Rex Quin hic adest Orcamus? Os. e turris cauo
Qua cæca ducit regium in tectum via
Rediisse rebar. Rex. inditæ obsistunt, seræ:
Os. Miror quid ille tandiu Turrim terat!

Fraus

Rex *Fraus magna subolet. euoca Orcamũ celer.*
Sel. *Quis turbo quassat regium! quales rotat*
Perfidia fraudes! refuga detrectat fides
Quæ spectat oculus. Ne tuos princeps time.
Maiora sunt molimina. Europam caue.

SCENA QVINTA

Orcamus Vinctus, & qui supra.

(trabo
Orc. *SPectare fraudis monstra; prob quales*
Insons Catenas! noscite Europã semel
Crucisque leges; mortis e tetro sinu
Luci renatus reddor. Inuictam manum
Auguste vindex porrige; insontem leua,
Absume scelera. R. *fare quæ vis aut dolus*
His te Catenis infima in turri grauat?
Or. *Sub ima turris nuper immissus lyco*
Comitante, læta fonte festiuis modis
Compello vinctum; gerere me regis vices
Signumque monstro; furta si reddat; nihil
Superesse cladis spondeo, occultum quoque.
Crimen futurum; iamque procliuis mea
In verba tandem labitur, poscit sibi
Impune furtum, cæteris clausum fore.
Addit mea chirographum vt dextra exarẽ,
Bullaque signem regia, & cautum prius

Sibi ſit ample; compos vt fiam annuli,
Prõptus petitis annuo. Chirographum
Lubente formo dextera, & claris notis
Voco innocentem, quo ſuæ plene integer
Famæ, ſuique iuris indemnis queat
Quocumque liber pergere; at non dum tamen
Obſigno cautus paginam, ni iam prius
Sua furta reddat; interim nexus leuo.
Tunc liber ille, proditor & vnã lycus
In me feroces irruunt, hæc vt vides,
Vterque nectit vincula; eripiunt ſinu
Regale ſignum, tunc mea ſcriptam manu
De more ſignant paginam, & læti fugam
Ambo capeſſunt. quid miſer ferro obrutus
Imo ſepultus carcere, immanis doli
Horrore ſtupidus, vix mihi credens agam?
Clamem? profunda ſupprimit vocem ſpecus.
In vincla coner? æris obſiſtit rigor.
Et quod leuamen perditis nemo vetat,
Mori vetabãt vincula, ah quoties caput
Vulnus ſibi popoſcit, & ferrum negat.
Rex *Quę ſæcla tandem ducimus? regnat dolus,*
Furiæque mundum dite deſerto tenent.
Eximite fæda vincla. te quamuis premant,
Tua tamen ornant merita, virtuti tuæ
Induunt catenæ decora, teſtantur fidem.
Se-

Selime ventis ocyor equestres vijs
Disperge turmas, occupa Odoardi fugam,
Multaque nexum compede huc sontẽ trahe.

SCENA SEXTA.

Caiadus qui remanet. Henricus.

Hẽ. *QVid? patris ira subsidet, an æstu furit?*
Prosare; fraus, an veritas aulã tenẽt?
Cai. *Tenent Auerni scelera. Bacchatur fremit*
Maiore captus fraude furibundus parens.
Hẽ. *Quid ampla regis pagina? Cai. est vortex*
Est Agarena fraude compactũ scelus. (doli,
Iam, ne Odoardum peius excidiũ apprimat,
Fidis latebris consulam, aut cæca fuga.
Tu siste cladem, qua potes tandem mora.
Hẽ. *Mollire Patrem supplici adnitar prece,*
Vt in recessus adis occultum mihi
Permittat aditum veste laruali obsitus
Sacras latentem moliar in ędes viam,
si forte fraudis indicem è templi abditis
Metu sepultum puberem in lucem eruam
Cai. *Votis Olympus faueat, & nisus iuuet.*
Hẽ. *Augusta rerum Domina, quæ numen tua*
In vota trahere iure materno potes,
Tutela mundi, sospita afflictæ spei

Lux & leuamen perditis, dextros pia
Inflecte vultus, cerne quos fraudum globos
Eructat in nos Erebus, & quanto fidem
Piumque cultum vortice abripiat Mames,
Frena scelestos impetus, Nimbos truces
Risu sereno disijce, aut certe prior
Pietatis ipse victima, & fideï cadam:

SCENA SEPTIMA.

Ephebus, & idem qui supra.

Epheb. A*Ptum tuis velamen optatis gero*
Patrēq; monui, te remotis arbitris
Hic poscere vna colloqui, ni sit graue;
Assensit ille: è Regia en gressum mouet.

SCENA OCTAVA

Rex, & qui supra.

R. A*Bsiste, cunctis miles huc gressū veta.*
Ignaue Princeps, degener magnis auis
Resipisce tandem; disce quid Regno ferat
Cultus cruenti Numinis, & horror Crucis.
He. *Non dum tenemus exitum. Rex stulte sapit*
„*Cui vera monstrat exitus; brutum iuuat*
„*Re experiri; ratio cui mentem regit*

Tar-

„ *Tardos acuto Lumine euentus præit.*

Hē. *Nos voluit vmbris Tænari affusus vapor*
Peritque rebus fraudis afflatu color.

Rex *Cõsaluus afflat.* Henr. *Afflat Orcami dolus*

Rex *Laudo: tuos nempe abijce, extornos cole.*

Hē. *Colo pietatem.* Rex *Quo pius Regno excidas*

Hē. *Dilecte genitor parce, si non dum sequi*
Adhuc proteruus videar imperium Patris,
Me nostra solum retrabit, & Regni salus.
Quis error hæc permisceat, quā mox breuis
Docebit hora, si preces nati parens
Paterno amore foueris. quidquid petam
Extra pericli est aleam, & citra metum.

Rex *Quæcumque posces, lucra consalui petes*

Hē. *Nil ille, Cordis arbitrum obtestor Deum*
Quas ratio sponte suggerit, fundam preces.
Subire sacra in adyta me quoddam spei
Sublustre fulgur allicit, solus latens
Laruali amictu clausus ingressum precor

Rex *Vt mox ad aras aliquid in nostrum caput*
Præstigiarum more lusiadum lites.

Hē. *Tam fœda de me scelera? nec partem tui*
Agnoscis in me Genitor? & Regno & Patri,
Patrisque iussis sanguine, & memet litem

Rex *Quæ tanta telibido in ar canos rapit*

Templi recessus? Hen. eloquar. Ephebos duos
Ad annuli custodiam, & sacras preces
Constitui ad aras; alter extinctus iacet,
Alter peremptus iaceat, an vitam trahat,
Est irrepertum; visere hinc templi sinus
Me tanta mordet cura, si lucis queam
Quidquã per umbras capere, si forte obruta
Metu, ac tenebris veritas tollat caput;
Spei vocantis subsequi nutus decet.

Rex *Spem vota fingunt, sed quid occultas petis*
Vestis latebras, publicam lucem times?

Hẽ. *Timeo Agarenum lumina, Orcami manũ*
Et cæca fraudum retia, ingressus meos
Si senserit, quos ille non ausit dolos,
Ne qua retecti prodeat veri iubar?
Quę non mouebit tartara, aut si quid styge
Ferale quidquam fraudibus abundat magis?
Nil suspicantes, si fauet votis polus, (Pater
Fraudum Magistros opprimam, hoc vnum
Oro supremum, nullus hoc prohibet metus,
Suspicio nulla, nullus erroris pudor.

Rex *In spes vocaris irritas, non iam tamen*
Prolis ferantur irritæ ad Patrem preces.
Optata perage, cęca tegumenta indue.

Hẽ. *Facilem precanti dexteram pronus colo*
En vestis hic parata qua circum tegar.

Huc

1.Rex „*Huc Osmarus procedat; effusa Pater*
„*Dum peccat indulgentia, peccat simul*
„*Natura secum; sensa naturæ sequar.*

2. *Hoc quidquid ambit tegumẽ Orcamus sinat*
Intrare templi limina, at nullus comes,
Nec vllus intret Arbiter, solus migret,
Nostraque lege, nemo rimari audeat.
Insitata larua quid penitus tegat.

SCENA NONA.

Lysander, & Lochmanus.

Lys. O*Vid impotẽs moliris, & preceps furis?*
Necis prius disquire fraternę fabros,
Et inde iustas vltor in pœnas rue
Loc. *Ostentat ara victimam, quisnam litat,*
Nisi sit Sacerdos? quærere insanum reor,
An Phebus axe spargat ex alto diem.
Lys. *Indicia sunt hæc dubia, præcellens uiri*
Cum sanctitas repugnat, & vitæ decor.
Loc. *Qui pensiles adorat è ligno* Deos,
Amat cruentas victimas, cædes amat?
Frater iacet confossus, & necto moras
Frigens, inultus? trahere me vitam piget
Pu-

1.Ephebus abit vt Osmarum euocet. 2. aduenit Osmar...

Pudetque frater te mihi erepto. tui
Acerbus vltor viuo mihi vixi satis.
Quod si negabit inuidę sortis rigor
Mea in scelestum mergere hoc telum manu
Adibo Regem perque probrorum impetum
Cruoris extorquebo vindictam mei
Si iam repellar, Regis ante ora occidam
Causamque fratris hic perorabit cruor.
Quem viuere piget, vnica extremę spei
Semper parata est ancora, vt mortē oppetat.
Lyſ. *Insana te te ad ausa praecipitat furor.*

CHORVS

SAturata ſemel murice veſtis
Pernicax nullos patitur colores;
Sola regnatrix variare formas
Purpura nouit Proteos inſtar,
Subdolos aulæ bibit illa fucos.
Solio quiſquis regnat ab alto
Non vna poterit flectere dextera
Lora regnorum, nequit ille vaſtas
Luſtrare ſuo lumine terras.
Aulę ſæpe manu ſe minor imperi

Tra-

Tractat habenas, sociosque sibi
Poscit obtutus dominantis aulæ
Hinc suis fretus, sua damna nectit,
Seseque fraudum nexibus implicat.
At cui latos Natura dedit
Pectoris tractus, animosque regni
Ample capaces, ipse potentibus
Satis est regnis, aliena suis
Seruire cogit lumina nutibus,
Et sibi addictas famulantis aulæ
Mouet ipse manus quo ferat vsus.
Sic ergo regnis imperet vnici
Mens imperantis, qualis in arctubus
Ratio humanis vnica regnat.
Bene cauta suos illa ministros
Adhibet sensus, quibus obiectas
Species captat, non tamen illis
Lubrica credit preperante fide.
Quæcumque sensus credulus ingerit
Fraudis ignarum vocat ad Tribunal,
Et librat rigida lance seuerior.
Donec nullo temerata dolo
Integra captet simulacra formæ.
Nubibus clausum, pluuiumque cælum
Solis aduersi simul, ac maligna
Luce concepta varias doloso

Orbe

Orbe mentitur ſeries colorum,
Decipit viſus vacuumque veri
Adſtruit ſignum referens inanem
Iridis arcum.
Hinc repercuſſas modulata voces
Fingitur echo dum ſaxa ſonos
In nos oppoſita mole reuerberant,
Et prius capto repetita bombo
Tunditur auris.
Non tamen falſis hebetata monſtris
Mendaci ratio cædit imagini,
Sed quæ præcipiti porrigit impetu
Senſus, ſagaci lumine diſcutit,
Et ſuos damnat propera labantes
Fraude miniſtros.

ACTVS QVINTVS.

SCENA PRIMA

Orcamus, Selimus.

Orc. *EXtrema reſtant auſa, ſupremã manũ*
Impono cæptis; impetu irreparabili
Succuſſa tandem ſacra Luſiadum ruent
Vio-

Violenta conor; regis incaluit dolor
Nostro flabello, non adhuc feruet tamen,
Non æstuat, non fulmina, & flammas iacit.
,,*Dum patitur ira moras in horrorem breui*
,,*Tota euaporat. soluitur in acres minas,*
,,*Solum coruscans terret haud ardens nocet.*
Hic summa fraudum vertitur; regis furor
Exasperandus. Odoardi tu fugam
Mentire certus, peiera, auectum annulum
In maius effer; facinus in peius trahe.
Spem semper exspes abijce, inculca metus,
Odia, furores, anxias curas cie.
Sel. *Non deero sceleri, quoque propendet furor,*
Eo peruicaci rapidus impulsu ferar.
Ni subita iam ruina Consaluum obruat
Lapsu retorto recidet in nostrum caput.
Orc. *At ecce regem; turbidos vultus cape.*

SCENA SECVNDA

Rex Selimus. & deinde Lochmanus.

Rex ADhuc Selimum tanta defigit mora!
Regniq; raptor obtinẽs prædã fugit!
Et ipse languens specto proserpens malum!
Sel. *Auguste fugit prædo; nunc sero nimis*

Fu-

Fugam volantis sequimur. immissus vias
Vestigat omnes ocyor nimbis equus.
At cum dolo resagitur, & quos non struat
Consaluus astus luce, vel in ipsa latens!
Cæco veneno carpimur. pestem sinu
Nutrimus vltro. Semper ah semper nimis
Infausta Cafribus subdola Europæ fides!
Quid restat vltra? Nempe vt insultet tuo
Europa solio. Parce si tantum audeat
Amoris ardor. Arte Consaluus noua
Te, regna cunctos fascinat. sceptrum petit,
Nec ille sistet omne Consalui regis,
Manusq; blanda fraude dominantes ligat:
Regni potitur annulo; Cafrum patrem
Obsequia adorãt publica, & quidquid blatit,
Ab ore pendet prona populorum fides.

LOC. *Auguste iuris sospes in ius te voco*
Tuum ad tribunal cædis horrificæ reum.
Reus es cruoris. crimen est tandem tuum
Frater cruenta victima idolo cadens.

REX *Ego ne per aras mysta Christiadum lito!*

LOC. *Litas, litas Auguste Consalui manu.*

REX *Mentiris audax. facinus immane execror*

LOC *Immane facinus sequeris, & factũ probas.*

REX *Hæc probra Regi?* LOCH. *Non ego, at fratris cruor.*
Adhuc inultus vera iaculater probra.

Spectas iacentem puberem, dextram tenes
Scelus patrantem, penè fumantem vides
Abominanda cæde Consalui manum,
Et pateris æqui rector, & inulta hæc sinis?
Nec fulminas, nec totus in cædes ruis?
„*Quicumque regnat, scelera ni punit, patrat,*
„*Peiorque scelere sæpe vindictæ est mora.*
Clamat cruoris horror, vltrices faces
Iam penè ab alto deuocat, cuncti fremunt,
Ius fasque frendent, solus hæc audis hebes,
Placidusque rides! Perficit, laudat probat,
Cædem nefandam tanta in Augusto quies.
Quod si iacentis te parum sanguis mouet.
Viuentis atrox luctus, & acerbus dolor
Iras lacessant, Sanguine lanistæ mei
Rabiem doloris mitiga, aut si te iuuat
Fauere sceleri, me met incestas quoque
Consaluo ad aras trade mactādum impius.

Rex *Quis me veterno torpor obstrictum tenet!*
Iræque iustos impetus frangit domat!
Hæremus? hinc facesse lætalis mora
Iusti ministra, publici custos boni
Prorumpe rabies. quisquis Augusto creat
Pericla solio, sanguinem, & vitam expuat:
Stat fraudulentos perdere, & regnum graui
Purgare sorde; stat peregrino Deo

De

De lubra vana absumere ultrici face
,,Quod lenta peccat ira, grauiori luat.
,,Vindicta clade: duplicis est noxæ reum
,,Pietatis alma fronte laruatum scelus.

SCENA TERTIA.

Orcamus, & qui supra.

Orc. H*Orresce princeps & tibi, & sceptro* (*caue*
Rex *Quis hinc cometa tristis intẽtat mi-*
Orc. *Mostrum cometa tristius iussu tuo* (*nas?*
Ignotus ille, ueste sub cæca latens.
Subiuit ædem, postque non longas moras
Egressus ęde prodiit. R. *Quonam pedem*
Deflexit inde? Orc. *petere Consalui domũ*
Repente uisus. interim templi fores
Dum seruo septus milite, horrendus fragor
Perstringit aures editus ab ędis sinu.
Fremuere postes; flamma per clauis uias
Transpirat atra limen ex imo gemit.
Tum nosse cupidus monstra quid tandem fe-
Accedo propius; ecce mugitu graui (*rant,*
Vox clara tales reddit e Templo sonos.
Mei cruoris belluo; nostri uorax
Arpyia regni pestilens pędor Stygis
Consaluus auram spirat, & fędat diem?
Ni

Ni cum cadente ſole traiectus cadat,
Ni vindices hoc deuorent templum faces;
Europa Caſrum ſceptra regnatrix geret.
Hæc certa regi Oracula Euſebius cano.
Sic ille: cum repente diffugit tremor,
Priorque rurſus obtinet templum quies.

Rex *Viui, interempti, ſcelera, monſtra, oracula*
Poſcunt ſceleſtum ſanguinem, ſolus negem?
Euiſceretur proditor; Auerno tumens
Tranſuerberetur pectus, extinguat minas
Metuſque, & omen triſte Conſalui cruor.
Phanum execrandum præda flammarum ardeat,
Et quidquid intus claudit, obtineat cinis.
Ite, mea iuſta veſter approperet labor.

SCENA QVARTA.

Ignatius, & reſtat Rex.

Ign. *AVguſte ſummam nuncij optati gero.*
Aures benignus commoda; paucis loquar.

Rex *Effare; fruſtra quærit Henricus moras.*

Ign. *Adſum malignæ fraudis, & diræ necis*
Oculatus index, ſceleris inſpector vigil.
Quæcumq; clara in luce deprehendi eloquar.

Postquam cruci defixit Augustum annulum,
Et sua cruentis vota subiecit notis
Credita papyro Henricus, Eusebio, & mihi
Demandat aras, nempe vt assidua prece
Sua peragamus vota, nec sacris focis
Desint odores. iamque reuocatus pedem
Abade princeps retrahit. abscedunt simul
Cuncti, æreasque foribus obducunt seras.
Nos intus ambo supplices aræ-gradus
Imos tenemus, fundimus, & ambo preces,
Tum nos cupido pupugit extremos Dei
Patientis actus atque lutificam necem
Animo recolere. Surgo, & internos peto
Templi recessus, inde capturus precum
Sacrum volumen, cum repentinus fragor
Gressus inædem reuocat, interni ostij
Ad limen asto tacitus, & velo ad fores
Pendente tectus rimulis cuncta intuor.
Orcamus aris supplicans sacræ quasi
Cruci daturus oscula appensum rapit
Repente labris annulum, dumque vnguibus
Eusebius ore ab impio predam ferox
Conatur extorquere, deglutit vafer, (fidem
Inde inuocantem cælitum atque hominum
Sica trucidat puberem, & fixam cruci
Voti refigit paginam, & condit sinu.

Fe-

Feralis anguis, scelere concepto tumens
Haec somnia, haec deliria, has laruas truces
Regi coloras perfide? hoc fraudum chaos
Te nempe lusitania fucus docet.
Ig.*Probibeat æther. quidquid hæc nuper meis*
Subiecit oculis clara spectandum dies,
R*egi fidelis eloquor.* R. *quidquid tuis*
Submurmurauit auribus Auerni Draco,
„*Sceleste reuomis.* *Ign. Vanus est fraudis ti-*
„*Oculata quādo dicta prosequitur fides.(mor*
Hic me furoris regij prædam tenes:
Mea vita, mea mors è tua pendent manu.
Non dubia non obscura, quod certū est, gero.
Res ipsa falsum damnet, aut verum probet.
Orcami aperto ventre, dissectis fibris
Scrutare latebras viscerum, occultos cibi
Lustra meatus, annulum ni mox tua
Illic latentem tute contrectes manu
Delusus in me fulminet regis furor.
Tormenta, mortes aggera, & quidquid potest
Sæuire regis exacerbatus dolor.
„*Anceps quid hæres? nemo dominantes manus*
„*Irritat in sua damna, nec fraudem struit,*
1. *Fraus vt patescat, fraudis vt pęnam luat.*
Rex *Nolens reflector; trahitur, abripitur fides*
Quāuis reluctās, vltima haud quisquā petit

Supplicia, pęnę certus, atque exſpes lucri;
Seruate fidi puberem. huc mentem admoue.
Ni facta ditis conſonent, vnam tibi
Ne finge mortem, quidquid horrendũ, efferũ,
Immane, dirum, noxium, intolerabile
Iræ libido repperit regni potens
Vix prima de te exempla pęnarum ferent.
Viues doloris pabulum, vt cupias mori,
Mortemque numquã mortuus longã trahas
Ign. *Nihil recuſo. Veritas frontem exeret,*
Vmbraſque ditis luce diſcutiet ſua.
R. *Huc iam reuinctum ductor, Orcamũ trahe.*
Itu, veta Caiade, Conſalui necem.
Tu perge porro. Ign. Cædis aſpectu tremens
In mea cruentas viſcera extimui manus;
Interna repeto, quamque ſors primũ obtulit,
Me trudo in arcam, ſemper Orcami tamen
Telo videbar appetiiugulo incubans
Mucronis vmbra ſemper inſtabat meo:
Poſtquam reſedit terror, attollo caput,
Nec vllus aurem ſonitus attentam ferit,
Aſſurgo in ędem remigro ſuſpenſu gradu:
Et ecce rurſus pandit Orcamus fores,
Et te irruentem fronte truculenta intuor.
Priore maior oſſa peruaſit metus;
Fremens amicas rurſus in latebras feror.

SCE-

SCENA QVINTA.

Orcamus, & qui supra.

(cadat?

Or. *QVę sceleris vmbra Rex, in Orcamũ*
R. *Tua iam patescunt furta, quod tumida geris*
Aluo nutallum, redde, sat crimen notat
Cadentis oris trepidus exanguis color.
Or. *Discerpe lacera viscera; in reges fidem*
Halabit vsque purus Orcami cruor.
Ig. *Halabit vsque scelera perfidiam, neces.*
Or. *Ego nempe ad Aras impia peregi sacra.*
Ig. *Tu quippe ad Aras cæde sacrilega litas.*
Or. *Clausas in Aedes immigro vmbrarũ modo:*
Ig. *Sublata clauis regia expandit fores;*
Or. *Clausam cubili regio clauem tuli!*
Ig. „*Imperuium nil fraudibus, clausum nihil*
R. *In regiam trahatur; excutient breui*
Tormenta veros oro ab inuito sonos
Vocesque fronti consonas tortus dabis
Or. *Ergo nocentis apprimar fraude innocens?*
Meusque sanguis crimen alienum luet?
Indicia sceleris te satis monstrant reum.

SCENA SEXTA

Odoardus, & remanet Ignatius septus militibus.

Ig. *SIste Odoarde siste preparantem gradū*
Od. *Daturus vltro sanguinem regem peto,*
Fratrisque cædem, cede dissoluam mea.
Ig. *Funesta omitte nomina, & letos cape*
Amice sensus: mitior currit dies;
Meliora cælum spondet: in fratris caput
Actam securim retrahi Augustus iubet.
Od. *Perspecta faris? spes an incertas moues?*
Ig. *Narro fidelis, aure quod certa bibi.*
Rex namque per me doctus Orcami dolos
Mutauit iras, inque sacrilegum caput.
Vertit furores. sponte Consalui necem
Placatior prohibuit: in tuto est salus.
Od. *O spes resurgens! nuntij o faustus sonus!*
Nunc rursus aura pene rediuiuus fruor.
Ibo, renati fratris amplexus petam.

SCENA SEPTIMA.

Caiadus, & qui supra.

Cai- *Heu fata iniqua! vicit, heu vicit scelus*
Sero retardat funera Augusti furor.
Heu, clara lusitaniæ occubuit dies!
Ig. *Quis hinc procellæ surgit inopinus fragor?*
Cai. *Rex fulminatam reuocat incassum necē.*
Heu, iam Mametis inter immites feras
Propera peremptus morte Consaluus iacet.
Od. „*Ah vera semper murmura minātis metus!*
„ *Non temere pectus turbines cæcos agit.*
Optate frater per tot vndarum minas,
Per tot malignas orbis ignoti plagas
Quæsite dudum, siccine e fratris sinu
Perfidiæ ab vrgue raperis? heu fossus iaces.
Vix expetitos ire in amplexus semel
Post longa licuit spatia, nec potui satis
Explere visus ore fraterno miser.
Cur me furori regio (heu stultum caput!)
Subtraxi, vt omne rueret in fratrem nefas?
Vt plena regis ira cocyto flagrans
Fratrem occuparet? ipse vesana fuga
Te perdidi Consalue, si vinctas manus
Regi dedissem, si mea intortus calybs

Collo implicasset, pondus irarum graue
In me irruisset, & meus felix cruor
furoris extinxisset indomiti faces.
At nunc mei pars melior exanguis iaces.
Vox illa semper numinis fundens melos,
Charitum voluptas, gratior cæli lepor
Silet, nec afflat, amplius terris Deum.
Heu me relictum! Squallidos posthac dies
Traham tenebris obrutus. nullam mihi
Sperare lucem fratre sublato licet:

Ig. *Fratris tua est iactura, sed* Patris *mea.*
Patrem interemptum ploro. Genitoris uices
Superabat ille, lucis æternæ diem.
Arcana cœli, decora virtutum, Deum
Quis explicabit? muta iam siluit fides
Tecum, Pater, *sepulta; non vnus iaces,*
Iacemus omnes, veritas, pietas iacent.
„Heu me! leuamen respuit acerbus dolor,
„Nec perditos leuare, nisi luctus potest.

Od. A*t mira nosse gesta morientis iuuat.*
Quandoque maior morte Consaluus cadat.

Cai. *Hæc uisa retulit certa lusiadum fides.*
Postquam Tyrannum sensit insanis agi
Iræ procellis, ipse christiadas adit,
Animique sordes expiat, & alte Deum
Fidemque cunctis imprimit, tandem domum

Re-

Reuersus, aram genibus inflexis tenet.
Defixa sacro stipiti affixo Deo
In quas amoris lumina arserunt faces!
Quæ verba Olympus stupuit, & quales Deũ
Mulsere voces! ipsa quę potuit loqui,
Referre posset lingua. iam toto flagrans
Spirabat ore numen, & venis cruor
Vix se coarctans, vulnerum vrgebat vias.
Quando Mametis insilit frendens cohors
Furibunda telis. ille votorum tenens
Metam supremam, fronte quam risus beat;
Qua ludit æther, excipit auerni globum.
Expandit ardens brachia, & lætus sinum
Vulneribus aptat. Stupidus attonita stetit
Ira maniplus, seque iam rabies pauet.
Consaluus animos addit, horrorem excutit,
Cupidusque mortis vulnera instigat sibi.
Nec vota cœlum distulit; spisso lacer
Fossusque telo languet, & lacero Deo
In os supremum spiritum felix dedit.

SCENA OCTAVA.

Rex, & qui supra Nuncius.

Nun. D*Etecta prodit veritas, inter graues*
Tortoris ictus nullus Orcamum dolor

Quam

Quam sceleris horror conscius torquet magis:
Noxæ, ac doloris impos intextos gemens
Dolos retexit, inde quæsitum annulum
Dissecta promũt viscera, & furtũ explicãt.

Rex *Toto Agarenum pereat e Regno genus,*
Ruat Mametis cultus, & solus regat
Mea regna Christus, sola Consalui fides.
Quot fraudolentus scelera, quã turpes neces
Orcamus ornat? annulum sub viscera
Ah præditor! detrudit, vt Christũ opprimat.
Soboles maligna pereat, & terram leuet
Absumpta pestis, lætior phebus micet.
Huc labis expers, fraudis alienæ reus
Consaluus adsit, regiæ vt summum gradum
Regi secundus teneat, atque aulę imperet.

Od. *Heu rex honores posthumos fratri paras;*
Meditare funus, corda transfixus iacet.

Rex *Iacet! meoque fossus imperio iacet?*
Iussa execranda, dira, scelerata, impia
Serus retracto. Cai. *Perfida Orcami manus*
Violentior fulminibus inflixit necem.

Rex *Immane facimus! siccine occumbis Pater?*
Sic ergo, sic tua merita, ęrumnas tuas,
Tuos amores nostra compensat manus?
Tu dona cæli spargis & diuum iubar
Acheronte pulso reddis, & nostris Deum

Affun-

Affundis oris, ipse quas reddo vices?
Minas, furores, probra, cruciatus, necem.
Accede proles, iuste tu vindex reum
Damna parentem, quas iubes pœnas, luam.
Henricus huc vocetur. Ign. *occlusus latet*
Ignarus ille prorsus infandæ necis.
Vt quippe Templum subijt, Orcami tamen
Fraudem extimescens veste me claudit sua,
Qua tectus ipse tulerat in templum pedem.
Suaque me sic egredi occultum vice
Compellit, vt te, nescio Orcamo alloquar;
Et ipse clausus interim templo latet.
Cai. *Præcincta flammis ardet imperio tuo*
Aedes, & ædis viscera absumunt faces.
Rex *Properate Lymphas, ipse quid cesso piger?*
Nũc. *Desiste princeps irritus cædet labor.*
Occidimus, omnis occidit Casrum decor.
Defixus astris lumina, amplexus crucem
Henricus inter flammeos perstat globos
Intactus, & se pulcrior mortem oppetit.
Rex *Heu fata! sed quid fata deploras miser.*
Inuita tute fata violentus trahis.
Meritos furoris impij fructus cape.
Mystas Tonantis eneca, templum crema,
Ius omne verte, quidquid est sanctũ opprime
Saturare tandem sume te dignas dapes;

Epulare tuamet viſcera aſſauit furor.
O Nate *regum forma, virtutum decor,*
Quod me parente genitus, hoc ſolum miſer;
Si te ferarum peſſima, aut toto fluens
Tabo tuliſſet hydra, meliori patre
Fruerere felix, nec paternæ victima
Immanitatis impio arſiſſes rogo.
Ego te peremi Nate*, parſiſſent faces,*
Ni de furore furere didiciſſent meo.
Me perditum! quam ſæpe, qua blanda prece
Qua nectaris torrente, qua fletu pio
Lenire rabiem, reddere, & patrem ſibi
Conatus implacabilem, durum ferum
Exhorruiſti! potuit Orcamus ſua
In vota me deflectere, & natus nequis.
Fruſtra monentem reppuli, & ſenſus patris
A*d ſe cientem. Veritas, pietas,* Deus
Reſponſa ab ore nate reddebant tuo:
Deriſi, & aure ſurdus auerſa expuli.
Nunc ſero fruſtra reuoco. Conſumptus ſilet
Dulcis ſuſurrus; periit heu linguæ lepor.
Cai. *Spes alta regni corruit; tantum ſibi*
Speraſſe regem fixus hærebit dolor,
Spes, vota plauſus gaudia in luctus migrant
Rex *Mea lux mei ardor pectoris langues, peris;*
Peris, & atrox carnifex ego ſum pater.

Ter-

Terram quid vltra pondus infelix grauo,
Odiumque mundi spiritu infesto polum?
In me furores verte lusiadum manus
Lacerate monstrum; Tuque furialis cohors
In me cerastas euibra, & totam stygem,
Dignas Auerno gestat hoc pectus dapes.
Sed quid stygem lacesso? Quid furias voco?
Ego furiarum maxima ego solus mihi,
Ego Agarenis, ego parenti perfidæ
Ardens auernus adero. Cui primos manus
Meditaris ictus? prima lanietur parens
labes malorum; prima deserta cruce
Hæc me flagello rabida vipereo impulit.
Hæc impias iniecit in Templum faces,
Hæc cædis auctor. ruite præcipiti gradu
Raptate matrem, sanguinem exugam impiũ
Me prole dignum; fæuiã hoc solum pius, (rori
Quod perdo Matrem. Sed quid hic segnis mo-
Aliena cesset dextera; hoc totum est meum;
Vnus ego matris viscera hoc ferro petam.

Exaudiuntur hæc intra scenam.

Mater *Vterum parentis effodis?* R. *qui me tulit.*
Mat. *Heu terra, cœlũ, maria tartareum chaos*
Abripite natum: morior: vltrices crucis
Agnosco palmas, regnat vbi pendens Deus.

FINIS.